dzietem
en la sunt

ylko z błęd
i t. d. Jeż
ynen (t. i. pi
nastręczaiąc
nalowane,
5
sca
Od
nt
guin
. . .
ecem tauri
t vitulus.
ie, które
do Mecenasa
Reddere vict
otivam meme
feriemus

PRETIOSA MORS SANCTORUM,

SEU

DISPOSITIO MORIBUNDI,

Documentis Theologicis,

ac piis Scripturæ, SSq; Patrum, præsertim S. Augustini,

affectibus,

& Divorum morientium

exemplis

ILLUSTRATA.

à Patre

JOANNE MORAWSKI, S. J.

Superiorum permissu,

Anno DEI mortalis 1698.

POSNANIÆ,

Typis Clari Collegii Societatis IESV.



Ite, renidentes, pretiosa pericula, gemmæ,
Præcipitat lubricis quas levis Hermus aquis:
Virtute ac meritis, dum Gens LVKOMSCIA *lucem*
Accendit, gemmis concolor ipsa suis.

PERILLVSTRI
& REVERENDISSIMO DNO,
D. STANISLAO ŁUKOMSKI.
Ecclesiæ Cathedralis Posnań:
CANONICO.
Dńo, Dńo Observandissimo.

Pallent Magnorum atria, & velut ad clypeum Persei lapidescunt, quoties in conspectum primamq; incurrit pupillam, semper invisa Proceribus Mortis imago. Sed iis duntaxat osseum istud monstrum horrorem incutit, quos cultâ simulatione virtutis, gestus inviti coloravêre: quibus extimâ fronte pietas resedit, omnisq;

velut in Iride, gratia morum varietate florescit: quibus fracto demùm supercilio, satisq; admotis patescit, quantum sub tam compta virtutum picturâ fuerit inane. Isti ad primos Libitinæ vultus exanimantur, quibus inania simulachra pietatis, atq; in diem sumpta, proq; usuq; rerum iterum posita probitas, pulchriq; mores, eodem fastu, quo parabantur operosè, elanguescunt. At Tibi Perillustris & Reverendissime Domine, invicta, totq; annorum firmata usu virtus, immortaliaq; decora, quibus circumfulges, ab umbra hujus de Morte Libri, meridiem ominantur, pulchroq; clarescunt sereno. Sic nubium objectu, vivacior in lucem Phœbus exardescit: sic Adamantem solicitant umbræ, acuuntq; circumfusæ radios tenebræ: sic & Aviti Tui LAPIDES, quatuor sæculorum pom-

pam

pam lucemq́ jaculantes, mortuali ab hac umbra fulgebunt augustiùs. Vt proinde nihil minùs metuam, quam ne Mortis horrore inumbrem Tui Nominis claritatem; quâ extra invidiæ noctes, obtrectantiumq́ umbras, semper illustris Tuo Te lumine condis. Si primas intueri cunas, splendoremq́ natalium lubeat; circumfusa tot Majorum Tuorum gloria, niveiq́ mores, in unum Te, velut in compendium decorum confluxêre. Nil fato casibusq́, aut fluctuanti fortunæ lubrico debes; Nativâ tutus magnitudine, omnia velut æternitati jam tum laboratis decora, de Cores, Aviti splendoris decora, de Cornubiæ gloria, non Stemmitum Cornubiæ gloria, non Stemmate magis, quàm indole complexus es. Pulchro felicitatis ac sanguinis fœdere Burgundiam, Bohemiam, & jam quatuor ab hinc sæculis Poloniam, meritorum ac vir-

tutis

tutis theatrum nacti, non minus a-
vitâ gemmâ, quàm preti-sioribus
auro factis, heroicâq; virtute nobi-
litastis. Tres Caroli V exortum
serenavère soles: totidem aviti LA-
PIDES Vestri, Majorum gloriâ in
augem lucis publicæ provecti, velut
nativi soles tibi fulsêre. Et adhuc
mortales cunctentur, Te Prosapiæ
Tuæ gemmam nuncupare? cui pro
cunis Lucina gentilitias instravit
gemmas, natumq; materno inseruit
ANNVLO: quem DIMIDIA sui
PARTE Te uno implevit locupletâ-
vitq; superjecto lemmate: Ornat
& implet. ANNVLO inserta, for-
tunatissimo auspicio SAGITTA,
victorias Genti Vestræ desponsavit,
quâ parte Martem agitis: aut men-
tis acumen Literarum Heredibus,
hac gemmâ consignavit. Nisi ere-
ctam in Superos, Divisq; devinctã
mentem augustiùs portendunt SV-
BLA-

BLATÆ ad ſidera MANVS, monſtrantq; quo ſe ultra mortalium faſtigia virtus attollat, Teq; cœlo inſerat ingenita, & velut hereditate, à VOLINSCIIS probitas in ŁVKOMSCIOS transfuſa. Atq; hinc eſt, quod divinioribus totum animum ſcientiis conſecraſti, quadriennio ad Theologicum noſtri Collegij P. ſnanienſis, Solem Aquinaticum non magis ingenio ſciendiq; ardore, quam integerrimâ pietate, morumque candore illuſtris. Et hucuſq; prodit ſe moribus, quod intus animo Numen claudis, cum acceſſione virtutum eò eluctatus ſis, ut rectefactorũ Idea pleriſq; habearis. A Tuo vultu documenta probitatis eò feliciùs emicant, quo blandiùs cogi ſe mentes ad meliora ſentiunt, quòd tam auguſtè præeas. Inde Tibi ultra opes fortunaſq; omnes crevit æſtimatio miſerorum; inde blandus, ac

neſcio

nescio quam felicitatem calamitatibus egenorum aspirans animus, vultusque, omnem collapsæ fortunæ mærorem abstergens. Attollis gloriam, probitatemque ultrà fastigium locas, quoties jacentem sublevas miserorum sortem; pretiosior multò effusis in abjectos opibus, quàm si Hermus Te Mæcenatem, aut Pactolus circumflueret. Illud basilicum ac cælo par, egentium calamitates pretioso à Te censu velut grande patrimoniũ redimi, magnumque Tibi censeri vectigal, quoties solitò plus liberalitas effudit; & eas tantùm opes coruscare, ac dignam Te diem accendere, quæ sæpiùs egentiũ manibus versantur. Hæc Perillustris ac Reverendissime Domine, ubi Te Libitinæ jaculis eximunt, simul mortales inter, immortalitate consecrant, mihique animos ac fiduciam firmant, Pretiosam Tuis sub

auspi-

auspiciis Mortem *immortalitati morientium consecrandi. Quare qui olim subtiliori ab exedra, promptiore animo pennâque Theologiam admisisti: nunc ultimam rerum Lineam, mortem, in hoc libro descriptam, grato animo admitte. Tibi referent, quicunq; ab hac morte immortalitatem traxerint, quæ mortalia inter, Te Divis asseret, ac consecrabit. Ita vovet*

Perillustris & Reverendissimæ
Dominationis suæ

Servus
Devinctissimus
Joannes Morawski S. J.

FACULTAS
R. P. Vice-Provincialis.

Cùm Liber qui inſcribitur *Pretioſa Mors Sanctorum, ſeu Diſpoſitio moribundi, documentis Theologicis, piiſq; SS. Patrum affectibus, ac Divorum morientium exemplis illuſtrata*, à P. Joanne Moráwſki, noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi factâ ab A. R. P. Noſtro THYRSO GONZALEZ, præfatæ Societatis Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has literas manu meâ firmatas, ſigilloq; munitas dedi. Poſnaniæ die 1. Novembr. 1697.

STANISLAUS BIECZYNSKI

Apprbatio Censoris.

OPus ſat eruditum, doctum & pium, intitulatum *Pretioſa Mors Sanctorum, ſeu Diſpoſitio moribundi*, ab A. R. P. Joanne Morawſki Societatis JESU &c, idiomate tam Latino, quam Polonico conſcriptum, cenſeo dignum eſſe publicâ luce.

NICOLAVS ZALASZEWSKI
Archidiaconus Poſnanienſis, & Librorum Cenſor Synodalis.

Proteſtatio Authoris.

PArendo cum omni reverentia Decreto Urbani VIII, ejuſque confirmationi & declarationi, profiteor me, haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro de Viris virtute illuſtribus, quod cadit ſupra mores & opinionem illorum refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ duntaxat authoritate nituntur; iis tantummodo exceptis, quos Eccleſia Catholica Romana Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

Ioannes Morawſki S. I.

INDEX

INDEX CAPITUM
Et rerum notabiliorum.

CAP.

    nistra-

Refe-

CAP.

§ 11,

Exhi-

INDEX

APPENDIX.

Errata sic corrigenda.

Pagina 1. v. 14. *Ubi non dicit* Adde *proue considerat P. Paulus Segneri in Medit.*

p. 5. v. 2. *Quidam Ecclesiastes.* lege *idem Ecclesiastes.*

p. 5. v. 16. *ut iindicet* lege *ut iudicet.*

p. 13. v. 16.	*omnum*	*omnium*
p. 16. v. 13.	2.	3.
p. 19. v. 1.	*Viam*	*Vitam*
p. 29. v. 3.	*Aug. lib.* adde	*lib. 1*
p. 41. v. 8.	*oran* lege	*orant*
p. 157. v. 13,	*Ecclenam*	*Ecclesiam*
p. 164. v. 1.	*murietur*	*morietur.*
Ibidem v. 6.	*cap.* 16. adde	§ 1.
p, 165. v. 18.	*hoc ipsum* lege	*hoc ipso*
p. 170. v. 14.	*mnndi*	*mundi.*
p. 178. v. 7.	*crmmiseris*	*commiseris*
p. 119. v. 11.	*Verus*	*Verius*
p. 255. v. 19.	*aiq;*	*eiq;*
p. 355. v. 4.	*speticsa*	*speciosa*
p, 371. v. 7.	*mibo*	*mibi*

p. 423. v. 4. *in tenebras inferiores* lege *exteriores.*

p. 429. v. 14.	*Pater æternæ*	*æterne.*
p. 500. v. 11.	*Mucte*	*Macte.*

p. 540. v. 9. *Item sequentes.* Adde *Orationes.*

CAPUT. I.

Mors Sanctorum præmeditata, & præparata.

ID nobis sæpiùs commendat Dominus in Evangelio, tum alibi, tum Luc. 12. *Estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet*, nempe ad judicium um universale in consummatione sæculi, tum ad particulare in norte cujuscunq; nostrûm. Ubi non dicit Dominus: *Parate vos*, ed *Estote parati*; quia vult nos ad nortem semper ita esse paratos, icut solet esse navis parata, quæ nstructa velis, omnibusq; necesariis, stans in portu, solum ven-

tum exspectat; non verò ita, sicut solet esse navis illa non parata, quæ indiget reparatione. Et ratio est, quia qui aliquando non est paratus ad mortem, fieri potest, ut mors improvisa illum inveniat imparatum; sicut invenit sponsus Virgines fatuas imparatas, eò quòd non semper essent paratæ; quibus proinde clausa est janua vitæ æternæ: in hoc autem negotio exponere se periculo amittendi vitam æternam, quanta stultitia est! Deinde illa præparatio ad mortem, quæ fit in ipso mortis articulo, est præparatio tumultuaria, imo non est præparatio, sed confusio, ac proinde est præparatio improportionata negotio beatæ æternitatis, quæ à morte dependet. Non ergo differenda est ad mortem præparatio.

Hujus

Hujus præparationis tempestivæ ad mortem meritò dat rationem Dominus: *quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Non dicit: *quo anno, quo mense, quo die non putatis*, sed *quâ horâ non putatis:* quia mors, quæ quoad substantiam, tum ex revelatione Dei, tum ex ratione naturali, tum ex continua experientia, est certissima, est tamen incertissima, quoad horam, quâ veniet, juxta illvd Matt. 25. *Vigilate, quia nescitis diem neq; horam.* Unde cõparatur furi ex improviso venienti, ibidem Luc. 12. & Apoc. 16. Scimus ab hoc latrone domum nostram perfodiendam, sed nescimus an in prima, an in 2da, an in tertia vigilia noctis, id est, an in juventute, an in virili ætate, an in senectute: semper ergo & ubiq;

exſpectandus eſt. Nam ut ait Aug: *Latet unus dies, ut obſervetur omnis dies.* Et verò exſpectanda mors eſt, ut proxima. Fruſtra illam putant remotam juvenes. Nam per illam *Deus gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* Pſal. 7. Nempe hoc gladio mors ſenes, ſibi vicinos, perimit: juvenes autem fugientes ſe, ex arcu, emiſsis ſagittis, ô quàm ſæpè ex improviſo conficit. Itaq; monet Spiritus S. Eccl. 5. *Ne dixeris eſt mihi ſufficiens vita:* ſed perſvade tibi, mortē inſtare vicinam. Non puta præceſſurum morbum, non debilitatem; potius dic cum Jobo 32. *Neſcio quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus.*

Hac

Hac de cauſa etiam, ut notat Quidam Eccleſiaſtes, addit Dominus: *Quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet*, nempe ut *Iudex vivorum*, in judicio particulari, *& mortuorum* in judicio univerſali; ſiquidem *Pater dedit Filio poteſtatem facere judicium, quia filius hominis eſt.* Joan. 5. Non enim dicit: *Quâ horâ non putatis, Iudex mittet apparitores, mittet citationes ad judicium*: quia nec illud breve præparationis tẽpus ſperandum eſt, quod habet reus, dum citatur, vel adducitur ad judicem: ſed dicit: *Veniet Iudex*, ſcilicet ut indicet per quod denotatur, non fore tempus idoneũ præparationis: ſicut reus nullum habet tempus præparandi ſe, quando domũ ejus ipſe Judex venit in ſua perſona, ut illũ capiat.

Modo quidem quando venit ad nos Christus cum suis inspiratio- nibus, possumus illi dicere: *Exspecta, Reexspecta*, Isaiæ 28. quia modo venit ad nos, ut Amicus; sed in morte, quando veniet ut Judex, tali dilationi tempus non erit.

Illud etiam considerandum est, mortem non modo esse incertam quoad tempus, non modo esse proximam, sed esse unicam, non enim datur bis mori. Unde error in morte commissus est irreparabilis. Agitur autem ibi de anima, quæ unica est, aut perdenda, aut conservāda in æternū: agitur de uno necessario summo bono, id est de beatitudine æterna, aut lucranda, aut amittēda. Itaq; in illo mortis instāti, lignum sive ceciderit ad Austrū, ubi cubat Spō-

ſus in meridie; ſive ad Aquilonē, unde panditur omne malum; ibi erit ſemper, & inde nunquam, ah nunquam transferetur. Quantùm igitur me tempeſtivè hoc vitæ tempore ſedulô exercere debeo, ne errem in morte, à quâ pendet ſive beata, ſive infelix æternitas. Si alicui daretur ſpatium tridui, quo ſe exerceret ad jaculandum, eo pacto, ut ſi poſt triduum, unico luſu ſcopum attingeret, fieret rex: ſi autem non attingeret, vivus cremaretur: quâ diligentiâ is ſe exerceret toto triduo? Cur non idem faciam in vita præſente, ut regnum cœlorum obtineam in morte, evadamq; pœnas inferni æternas?

At in quo hæc præparatio ad mortem conſiſtit? Reſpondeo, hanc præparationem eſſe dupli-

cem, remotam & proximam, u dicere possimus bis, Psal. 56. *Paratum cor meum Deus: paratum cor meum.* Remota præparatio consistit in hoc, ut nulla habeamus peccata, quæ nos torqueant in morte, & ut congregemus nobis multa merita, pro quibus præmium referamus in Dei judicio, juxta illud Eccl. 18. *Ante judicium, para justitiam tibi.*

Præparatio proxima consistit 1. in emundatione conscientiæ ab omnibus peccatis, etiam & dubiis, per Sacramentum Pœnitentiæ. Conscientia enim est adversarius noster, qui nobis perpetuò contradicit, & nos arguit de peccatis: de hoc ergo Adversario dicit Dominus: Matt. 5. *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te ad*

versarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Conscientia nostra est canis, qui modo quidem in vita aliquando non latrat, quia ei obtrudimus offam, & blandimur: sed in morte, cùm hæc cessabunt, & cùm apparebunt latrones, id est dæmones concurrentes cum peccatis nostris ad nostram perditionē, tunc canis iste latrabit. Ergo ne tunc latret, modo removenda peccata à nobis.

2do. Ad hanc præparationem requiritur satisfactio pro pœna peccatorum, in hac vita, ne pro illis satisfaciamus in purgatorio; ubi pœnæ superant omnes pœnas hujus vitæ, ut docet S. August. in Psal. 37. Hæc autem satisfactio fit, tum per frequentem actum contritionis: Tum per usum In-

dulgentiarum: Tum per patientiam occurrentium adversitatum; Tum per spontaneam mortificationem, tam internam passionũ, quàm externam carnis & sensuum: Tum per frequentem appropriationem nobis, satisfactionum Christi: Tum per frequentem in sangvine Christi ablutionem, de quo infra Cap. 17.

3tio. Requiritur solutio debitorum, sive ex justitia, sive ex gratitudine, & fidelitate, de quibus infra Cap. 6.

4to. Testamentum condere tempestivè de quo Cap. 7.

5to. Juvat multum ad habendam mortem jucundam, tempestivè mori spiritualiter mundo, & inordinato affectui erga mundum, id est erga concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis,

nis, & superbiam vitæ: hæ enim sunt tres Provinciæ mundi, in quibus regnat Princeps hujus mundi. Sic verò *mortuus mortem contemnet*, ut ait S. Bernar: in cap: 25. Matt. nec habebit causam cur ægrè & dolenter avellatur à vita, qui vitæ hujus illecebris non adhæsit. E contra autem: *O mors quàm amara est memoria tua*, (multò magis ipsa præsentia tua,) *homini pacem habenti in substantiis suis*. Eccl. 41.

6to. Juvat sæpè exercere actus fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum, ut acquiratur facilitas eos exercendi in articulo mortis.

7mo. Conducit, omnia opera facere, acsi essent ultima. Quod quamvis utile esset facere quolibet die, dum putatur mors esse vicina: tamen saltem unus in mēse vel

se, vel in hebdomada dies esse constituendus, quo facias meditationem, confessionem, communionem &c, planè tanquam ultimas. Eodem die, aliquo tēpore quieto, constitue te in statu illo, in quo eris moribundus; & accepto in manus crucifixo, elice actus virtutum, quos velles elicere in morte, & qui habentur infra cap. 7. Sic enim te exercebis quadam prolusione & probatione prævia, ut in theatro mortis futuræ, tragædiam benè absolvas. Similiter eodem die relegendum est & renovandum Testamentum animæ, quod habetur infra eodem cap. 7.

8vo. Commendare sæpè mortem suam Christo morienti, & B. Virgini Matri morientium. Quod fieri deberet singulis diebus,

bus, primo in ſacro Miſſæ, dum per fractionem Hoſtiæ repræſentatur ſeparatio Animæ Chriſti à ſuo Corpore. 2do, horâ tertiâ pomeridiana, quâ Dominus expiravit in Cruce. 3tio, eundo cubitum, dum diſponimus nos ad ſomnum, qui eſt mortis imago, multoſq; morti repentinæ conjunxit. Hæc faciendo imitabimur Apoſtolum, qui de ſe dicebat 1. Cor. 15. *Quotidie morior.*

CAPUT II.

Mors Sanctorum Impavida & Generoſa.

MOrtem, quæ alioquin omnium terribiliſsima eſt, hæ conſiderationes Sanctis faciunt non timendam.

1. Statutum eſt omnibus hominibus

nibus semel mori. Heb. 9. Id certum est ex fide, & evidens ex ratione. Quid ergo volo resiste-re Decreto Dei infrustrabili? Quid volo stultè fugere, quod e-vitari non potest! An non præ-stat potiùs ex necessitate facere virtutem obediētiæ, parendo Di-vinæ voluntati? *Nonne Deo sub-jecta erit anima mea?* Psal. 61. Ita monet Aug. ser. 36. de diver. *Quid times, quod etsi nolueris, e-rit?* nempe mortem. *Time poti-ùs, quod si nolueris, non erit,* nem-pe infernum.

2dum solatium, exemplum Christi, aliorumq; morientium. Omnes qui hactenus vixerunt, quamvis Potentissimi, Sapientis-simi, Sanctissimi, mortui sunt, & quidem multi in adolescentia, & in flore ætatis. Ipse quin Au-

thor

thor vitæ Christus Deus Homo, vitam suam mortalem, quâ nihil in mūdo pretiosiùs fuit, generosè posuit pro nobis anno suæ ætatis trigesimo tertio. Obiit & Pretiosissima Dei Mater. Eadem sors manet omnes, qui nos sequētur. Vita mea non est melior, cur illam Deo immolare nolo? Si Christus *gratia Dei* substantialis, *pro omnibus nobis gustavit mortem*. Heb. 2. jam mors mihi dulcis esse debet. *Nam vespa hæc* id est mors, *quæ Christum momordit, suum amisit aculeum*. ut ait Petr. Chrysol. *Vbi est mors aculeus tuus? nonne confregit illum Dominus meus? O mors quando Domino meo hæsisti, tunc & mihi periisti*. ait August. 86. de diver. Gaudium sit mihi misero, tot & tantos habere mortis socios.

Quid

Quid indignaris humana conditi habere exitum mortis? Et Domini tui exitus non alius, quàm mo tis fuit. Domini enim exitus mortis. Aug. in Psal. 67. *Non habebat Christus quare moreretur, & mortuus est: tu habes, quare: & mori dedignaris? dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod ille pati dignatus est, ut te à morte sempiterna liberaret,* ait Idem in Joan: Tr. 3. de cap. 1.

2. Mors liberat nos tot malis, nempe à tot indigentiis, morbis, doloribus, à periculis peccandi, à pasſionibus, à tentationibus. Nā ut ait Aug. cap. 21. Med. *Vita hæc, vita miſera, vita caduca, vita incerta, laborioſa, vita immunda, vita domina malorum, regina ſuperborum, plena miſeriis, & erroribus, quæ non eſt vita dicenda,*

ſed

ſed mors, in qua momentis ſingulis morimur, per varios mutabilitatis defectus diverſis generibus mortis. Uno verbo: *Mors iſta eſt vitalis, & vita mortalis.* quia ſcilicet hîc vivimus mortuo modo; ubi non ſunt vivæ potentiæ vitales; non viva memoria, quia multorum obliviſcitur; non vivus intellectus, quia cogitando fatigatur; non viva voluntas, quia frigidè amat ſummum bonum; non viva imaginatio, quia alteratur; non vivi ſenſus corporis, quia attenuantur. His ergo vitæ miſeræ iſtius ærumnis mors nos liberat, transfertq; ad vitam, his malis carentem, ab exilio in patriam, à mari procelloſo ad portum. *Et quis navigans in procellis non feſtinat ad portum? quis exul non properat ad patriam regredi?* ait

Cypr.

Cypr. de mortal. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem beatam.* Heb. 4. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* c. 13. *Ibi absterget Deus omnem lacrymam ab oculis nostris. Ibi non erit ampliùs, neque luctus, neq; dolor erit ultra.* Apocal. 21.

4tum solatium, spes vitæ melioris. *Melior est Deus misericordia tua super vitas.* Psal. 62. qui scilicet post mortem, speramus vitam beatam ex Dei misericordia. *Scimus enim*, ut ait Apost. 2. Cor. 5. *quoniam si terrestis domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.* Cur ergo vitam hanc miseram nolo commutare pro beata? Quid hîc volo, quod

in cœ-

in cœlo non habebo? Si viam appeto, quid melius illâ vitâ futurâ? de qua August. Med. c. 22. *O vita quam præparavit Deus diligentibus se, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima.* Si divitias aut gloriam quæro: *Ibi gloria & divitiæ in domo Dei mei.* Psal. 111. Si volo delicias: *ibi delectationes in dextera ejus usq; ad finem.* Psal. 15. Si placet amicorum consvetudo: *quantus ibi nos charorum numerus exspectat, Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum?* Cypr.

de mort. *Ergo mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Phil. 1 Quæ verba ita exponit Cypr. ibid. *Lucrum maximum computo, jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium esse, exemptum pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ, Christo vocante, proficisci.* Legatur hac de re Aug. Soliloq. 35. ubi sic ait: *Felices qui de periculo maris hujus educti, ad Deum, portum tutissimum pervenire meruere. O verè felices, qui de pelago ad littus, de exilio ad patriam, de carcere ad palatium pervenerunt, optata jam quiete beati; qui bravium illud perpetuæ gloriæ, quod hic per multas tribulationes quæsierunt, jam felici jucunditate adepti, lætantur in perpetuum*

etuum. O verè beati, ô terque uaterq; beati, qui jam omnium nalorum exuti, securi de sua immarcescibili gloria, ad regnum ecoris pervenire meruerunt. O ternum regnum, regnum omniũ æculorum, ubi lumen indeficiens, pax Dei, quæ exsuperat omnem nsum. O quàm gloriosum est renum, in quo tecum Domine regnant omnes Sancti, amicti lumie sicut vestimento, habentes in pite suo coronam de lapide pretio. Ibi gaudium infinitum, lætia sine tristitia, salus sine dolore, ia sine labore, lux sine tenebris, ita sine morte, omne bonum sine ni malo. Vbi juventus nunam senescit, ubi vita terminum scit, ubi decor nunquam pallet, ubi amor nunquam tepescit, i sanitas nunquam marcescit,

ubi gaudium nunquam decrescit, ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi tristè nihil videtur, ubi lætitia sẽper habetur, ubi malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur. Felices igitur qui de naufraga vita præsenti ad tanta gaudia jam pervenire meruerunt. Infelices heu nos & miseri, qui per hujus maris magni fluctus, procellosasq; voragines navem trahimus, ignorantes, an ad portum salutis pervenire valeamus. Infelices inquam, quorum via est in exilio, vita in periculo, finis in dubio. &c.

Similia habet Man. c. 17. O
„ quàm gloriosa dicta sunt de te
„ Civitas Dei: sicut lætantium
„ omnium habitatio est in te.
„ Fundaris exultatione univers
terræ

erræ. Non eſt in te ſenectus, „
ec ſenectutis miſeria; non eſt „
n te mancus, nec claudus, neq; „
ibboſus, neq; deformis, quia „
mnes occurrunt in virum per- „
ectum, in menſuram ætatis „
lenitudinis Chriſti. Quid hac „
ita beatiùs? ubi non eſt pau- „
ertatis metus, non ægritudi- „
is imbecillitas. Nemo lædi- „
ur, nemo iraſcitur, nemo in- „
idet. Cupiditas nulla exarde- „
cit, nullum cibi deſiderium, „
ulla honoris, aut poteſtatis „
ulſat ambitio. Nullus ibi dia- „
oli metus, inſidiæ dæmonum „
ullæ, terror gehennæ procul, „
nors neq; corporis, neq; ani- „
næ: ſed immortalitatis mune- „
e jucunda vita. Nulla erunt „
unc mala, nuſquam diſcordia, „
ed cuncta conventio - - nox „

ibi

„ ibi nulla, nullæ tenebræ, con-
„ curſus nubium nullus, nec fri-
„ goris ardoriſq́; aſperitas, ſed
„ talis erit rerum temperies, qua-
„ lem nec oculus vidit, nec auris
„ audivit, nec in cor hominis a-
„ ſcendit - - Verum ſuper hæc o-
„ mnia eſt conſociari choris An-
„ gelorum, Archangelorum, at-
„ q́ue omnium cœleſtium virtu-
„ tum, intueri Patriarchas & Pro-
„ phetas, videre Apoſtolos, atq́;
„ omnes Sanctos, videre etiam
„ parentes noſtros.Glorioſa
„ ſunt hæc, ſed multò glorioſiùs
„ eſt, præſentem Dei vultum
„ cernere. incircumſcriptum lu-
„ men videre. Super excellens
„ gloria erit, cùm Deum videbi-
„ mus in ſeipſo, & habebimus
„ in nobis.

„ Idem S. Doctor Man. c. 34.

ita

ita fatur: Quid amas caro
mea? quid deſideras anima
mea? Ibi eſt (in cœlo) quid-
quid amas, ibi eſt, quidquid de-
ſideras. Si delectat pulchritu-
tudo? fulgebunt juſti ſicut ſol:
Si velocitas, aut fortitudo, aut
libertas corporis, cui nihil obſi-
ſtere poſsit? erunt ſimiles An-
gelis Dei: quia ſeminatur cor-
pus animale, ſurget ſpirituale,
poteſtate utique non naturâ.
Si longa, aut ſalubris vita pla-
cet? ibi erit ſana æternitas, &
æterna ſanitas; quia juſti in per-
petuum vivent, & ſalus juſto-
rum à Domino. Si ſatietas?
ſatiabuntur, cùm apparuerit
gloria Domini. Si ebrietas? in-
ebriabuntur ab ubertate do-
mûs Dei. Si melodia? ibi An-
geli concinent ſine fine Deo.

„ Si quælibet non immunda, sed
„ munda voluptas? torrente vo-
„ luptatis suæ potabit eos Domi
„ nus. Si sapientia? ipsa Dei
„ sapientia ostendet eis seipsam.
„ Si amicitia? diligent Deum
„ plusquam seipsos, & invicem
„ tanquam seipsos, & Deus illos,
„ plusquam illi seipsos; quia illi
„ illum, & se invicem per illum
„ & ille se, & illos per seipsum.
„ Si concordia? omnibus illis e-
„ rit una voluntas: quia nulla il-
„ lis erit nisi Dei summa volun-
„ tas. Si potestas? omnipoten-
„ tes erunt suæ voluntatis, sicut
„ Deus suæ: nam sicut Deus po-
„ terit, quod volet, per seipsum:
„ ita poterunt illi quod volent,
„ per illum; quia sicut illi non
„ aliud volent, quam ille volet,
„ ita ille volet, quidquid illi vo-
lent,

lent, & quidquid ille volet, nō „
poterit non esse. Si honor & „
divitiæ? Deus servos suos bo- „
nos & fideles supra multa bo- „
na constituet &c, &c. Vide plura de gloria cœlesti infra cap. 16. in affectibus desiderii gloriæ cœlestis. Et hoc est solatium moribundi ex spe illius gloriæ.

5 solatium. Deus est Dominus vitæ & necis. Habet jus supremum in vitam meam titulo creationis, titulo redemptionis, titulo essentialis Dominii. Ergo dignus est, ut vitam meam illi immolem in protestationem altissimi Dominii ipsius. Cur non restituam Domino suo vitam, quam ab illo ad tempus mutuò accepi? *Revertatur pulvis ad terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*

Eccl. 12. Tot millia Martyrum per tantos cruciatus vitam suam sacrificaverunt Deo: volo & ego illam modo sacrificare, sine cæde & sangvine, ut sim victima charitatis.

6. Tot tantisq; meis criminibus promerui mortem, fortè etiam æternam, latro & fur gloriæ Divinæ: spontè igitur jugulum gladio Divinæ justitiæ subijcio, in satisfactionem pro peccatis meis. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei.* Mich, 7.

7. *Deus sic me dilexit, ut Filiū suum unigenitum daret, ut non perirem, sed haberem vitam æternā.* Ioan. 3, Ipse Filius Dei dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, usq; ad mortem, mortem autem crucis. Igitur ex amore Dei amatoris mei, trado libenter ipsi,

& pro ipso lucrando, vitam meã.

8 solatium suggerit S. August. lib. de Civ. c. 11. *Cùm unicuique mortalium, sub quotidianis vitæ hujus casibus, innumerabiles mortes quodam modo comminentur: quamdiu incertum est, quænam earum ventura sit; quæro utrum satiùs sit unam perpeti moriendo, an omnes timere vivendo? nec ignoro, quam incertiùs eligatur diu vivere sub timore tot mortium, quàm semel moriendo, nullam deinceps formidare.* Igitur si moriendum est aliquando, cur non modo? præsertim modo benè "cùm dispositus sim: quis scit enim n postea talis ero?

His motivis, Sancti, mortem, quamvis acerbissimam, sibi svavem reddebant. Unde de Anima justi dicitur Prov. 31. *Ridebit*

in die novissimo. Ita nuntio mortis accepto, lætus dicebat B. Aloysius Gonzaga: *Te Deum laudamus. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.* Ita S. Franciscus Afsisias, S. Antonius de Padva, S. Nicolaus Tolentinas, & tot alii cantando & gestiendo, mortui. Ita Ursinus ille Præsbyter, ut refert S. Gregor. l. 4. Dial. c. 11. moriens cum lætitia salutabat Apostolos Petrum & Paulum: *Bene veniant Domini mei: Venio, venio. Gratias ago.*

Ac ut innumeros omittam, è nostra Societate Doctor ille, Pontificis Pauli V. oraculo, Eximius, P. Franciscus Suarez, in ipsa morte exultans dicebat: *Non putabã tam suave esse, tam dulce mori.* Alter verò, P. Vincentius Carafa Generalis VII. Societatis ita

mor-

mortem desiderabat, ut diceret: *Ego quotidie morior, morior, quia non morior.* Quare de viris Sanctis dicitur Job. 3. *Exspectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentq́ vehementer, cum invenerint sepulchrũ.*

CAPUT III.

Mors ad fines supernaturales directa.

SIcut vitam nostram, omnesq́; nostras actiones, & passiones, ac omissiones, ut sint meritoriæ, elevamus ad fines supernaturales, intendendo in iis varia motiva virtutum: ita & mortem nostrã, quæ ex se indifferens est, intentionibus supernaturalibus ornare cõvenit, ut sit meritoria. Ex dictis autem capite præcedente, talis pro morte intentio fieri potest.

Deus ſupreme vitæ & necis Domine, volo mori. 1. Ex motivo religionis, in proteſtationē hujus ſupremi tui dominii, ut immolem tibi vitam meam, tanquam jumentum tuum.

2. Volo mori ex motivo obedientiæ, ut me ſubjiciam tuo decreto immutabili, quo me mori ab æterno ſtatuiſti.

3. Volo mori ex motivo gratitudinis, ut pro morte Filii Dei reponam tibi mortem meam.

4. Volo mori ex motivo pœnitentiæ, ut morte mea exſolvā debitum pro meis peccatis contractum, ſicq; aliquo modo pro iis ſatisfaciam tuæ juſtitiæ; ſiquidem non una morte pro illis dignus ſum.

5. Volo mori ex motivo imitandi Chriſtum, ejuſq; Pretioſiſ-

ſimam

ſimam Matrem morientes, ut hoc modo ijs ſim ſimilis.

6. Volo mori ex motivo amoris erga te, ut ſcilicet morte mea te glorificem, demq; guſtũ voluntati tuæ hoc volenti, & ne te amplius in hac vita offendam, ſed ut deſtructo hoc corporis pariete, te videam, magiſq; amem, & glorificem in æternum.

CAPUT IV.

Mors tranquilla ſine anxietate.

MEritò de juſtis dicitur Sap. 3. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentũ mortis*,, id eſt anxietas, quæ impios in morte nimiùm torquet. Porrò mortem anxiam duo faciunt, nempe, aut conſcientia mala, aut nimius vitæ, amicorum, alio-

rumq;

rumq; bonorum temporalium amor, quæ in morte deserēda sunt. Nam de hoc amore temporalium dicit S. Augustinus: *Cum dolore amittitur, quidquid cum amore possidetur.* Et lib. 1. de doctr. Christi c. 20. *Cujus animus non moritur huic sæculo, neq; incipit configurari veritati,* (quod utiq; fit per moderationem concupiscentiæ,) *in graviorem mortem morte corporis trahitur,* ideoq; in morte perturbatur. De mala verò conscientia, dicit in Psal. 45 *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorū.* Ideo S. Bernar. ser. 4. de Assump. ream conscientiam vocat *Infernum portatilem.* Et de Inter. domo c. 28. de morte dicit: *Eruntq; angustiæ homini: hinc accusans*

pecca-

peccatum, inde terrens justitia, subtus patens infernus, desuper iratus judex.

Utramq; istam inquietudinis causam non habet mors justorũ. Non primam: nam ij aut ante mortem tempestivè, cum Apostolis, reliquerunt re ipsa omnia bona temporalia, sequendo Christum, prout faciunt Religiosi, qui proinde in extremo judicio securi non tam judicabuntur, quam sedentes super sedes judicabunt cum Christo alios, juxta ejusdem promissionem: aut certè relinquerunt affectu omnia, non apponendo cor ad ista bona, si affluunt, & mortificando amorem bonorum temporalium, ac desideria illorum prava & inutilia; atq; ita ante mortem moriuntur sibi, suisq; concupiscentiis, ut vivant

vant Christo & justitiæ. De illis enim ait Apostolus Gal. 5. *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis.* Et ad Coloss. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo:*

Sed nec 2dam anxietatis causam habent justi in morte: quia vitam duxerunt à gravibus peccatis immunem. Quodsi illis gravior aliquis lapsus contigit in vita, sine dilatione peccata sua tempestivè expiarunt per Sacramentum pœnitentiæ: atq; ita illis *secura mens* in morte est *adinstar jucundi convivij.* Prov. 15. Nam ut ait Aug. in Psal. 33. *Beati qui gaudent, quando intrāt in cor suū, & nihil mali ibi inveniunt.* Unde concludit: *Ergo ut possis liberè redire ad cor tuum, munda illud:*

Beato

Beati enim mundo corde. Aufer inde cupiditatum ſordes, labem avaritiæ, aufer ſacrilegia, malas cogitationes, odia, &c. Quod utiq; tempeſtivè fieri debet ante mortem. Nam ii qui differunt pœnitentiam uſq; ad mortem, juſto judicio Dei puniuntur, vel ut nequeant tunc confiteri ob confeſſarii abſentiam: vel ut ob deſperationē nolint, prout multa exempla probant. Quod ſi confiteri poſſint, & velint, ſæpè confeſsio eorum ad articulum mortis dilata, evadit ſine fructu; vel ob defectum doloris ſupernaturalis, quem impedire tunc ſolet vis morbi, amicorum concurſus, & negotiorum tumultus; vel ob defectum ſerii propoſiti, retrahente illos, impellenteq; ad amorem peccati, malâ conſvetudine. Nā

ut ait August: lib: de vera & falsa poenit: *Qui priùs à peccato relinquitur, quam ipse relinquat, nõ liberè illud, sed ex nec-ssitate condemnat.*

Væ igitur in articulo mortis differentibus ad illud tempus cõfessiouem. Sed non minus væ illis, qui in vita habent *cauteriatam conscientiam*, ut ait Apost. 1. Tim. 4. 2dum quam conscientiam operantur, imò etiam confessiones faciunt. Est autem conscientia cauteriata, aut illa, juxta S. Thomam, ex qua per consvetudinem peccati corruptà, continuò effluit sanies peccatorum, sicut ex carne cauterio corrupta egreditur continuò putredo: aut certè illa conscientia vocatur cauteriata, juxta Theodoretum, quæ voluntariè obstupescit, nec sentit divi-

divinas inſpirationes, ſicut caro cauterio inuſta, priorem ſenſum amittit: aut deniq; illa eſt conſcientia cauteriata, quæ eſt laxa, & quaſi perforata, ſicut cauterio perforatur caro; quia videlicet in operando, & in confeſsionibus peragendis amplectitur laxas, & tenuis probabilitatis opiniones Doctorum. Talis conſcientia, ſicut de corde duro dicitur Eccl. 3. *O quàm malè habebit in noviſſimo:* Nam hæc conſcientia cauteriata in articulo mortis degenerabit in gangrænam, quæ nimiùm torquebit, ac fortè etiam animam moribundi enecabit. Nam ſicut ii qui in corpore habẽt venas latas, citò ad cor per illas venenum tranſiens admittunt: ita & hi qui ſequuntur laxas ſententias, facilè admittunt peccatum mor-

mortale. At è contra conſcientia juſtorum & timorata, tunc exultabit in Deo ſalutari ſuo, dicetq; cum Simeone juſto & timorato: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace:* quia tunc *timenti Dominū benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Eccl. 1.

Hæc ergo quæ dixi, plurimùm conducunt ad habendam in morte animi pacem & tranquillitatem. Ad eam autem majorem comparandam plurimùm juvat, ut moribundus quamdiu integris pollet ſenſibus, accepto nuntio de periculo mortis, generalem totius vitæ inſtituat confeſsionē, vel ſaltem ampliorem, ab ultima generali incipiendo. Juvat præterea, ut facto teſtamento, intercidantur viſitationes conſangvine-

gvineorum ac amicorum, quæ pacem animi turbare ſolent; nec admittantur colloquia niſi ſpiritualia, ſequendo exemplum Jobi, qui ulceribus plenus, morbiſq́ue plurimis laborans, *Divina loquebatur myſteria*, ut ait Ambroſius: ideoq́; *relicta tantummodo eran ei lábia circa dentes ſuos.*

CAPUT V.

Mors in doloribus amæna.

QUod de ſe dicebat Apoſtolus 2. Cor. 12. idem juſtus moribundus dicit: *Placeo mihi in infirmitatibus meis.* Et 2. Cor. 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione mea.* Ad hoc motiva iſta ſervire poſſunt infirmis.

1. Dignitas voluntatis Divinæ,

næ, & voluntas ejus dignitatis. Vult me pati & mori voluntas Dei ſapientiſsima & benevolentiſsima: quis mihi poteſt aliâ ratione melius conſulere, áut melius velle? Ergo me illi lætus, plene ſubijcio, & conformo.

2. *Virtus in infirmitate perficitur* 2. Cor. 12. Si ferrum ſum, per hunc ignem amitto æruginē; ſi aurum ſum, per hunc ignem probatus, evadam vas in honorem Dei. *Ergo libenter glorior in infirmitatibus meis, ut in me inhabitet virtus Chriſti.* Ibid.

3. *Anima morbo affecti propinqua eſt Deo*, dicit Gregor: Nazianz. Orat. 2. ad Cives, nempe propinqua eſt Chriſto, qui eſt Vir dolorum, ſciens infirmitatem, & in quo à planta pedis uſq; ad verticem non erat ſanitas. Itaque

infir-

firmus manet cum Christo in
uce, conformis imagini Filii
ei crucifixi. *Cum illo si patimur,*
conglorificabimur. Rom. 8. Er-
Christo confixus sim cruci. Gal.
Patiar & moriar cum illo in
cuce: quia in hac vita non est
empus evellendi clavos: post
nortem, inde Virgo Mater me
olvet.

4. *Infirmitas carnis est, quasi*
urgatorius ignis, ait Beda. Quid
gitur ad gravius purgatorium me
liffero? Hîc potius in hoc mor
bo me gerere volo, sicut animæ
n purgatorio, id est pati, & lau-
dare Deum, ardere, & amare.

5. Non fui dignus subire mar-
tyrium pro amore Dei mei, nunc
aliquam ejus occasionem habeo:
cur pati nolo? Ero hac ratione
(quod de Basilio dixit Nazianz.)

citra

citra sangvinem Martyr. Nam d
Chrysost. hom. 25. ad popul. Jo
bum ulcere percussum, & 30 mo
bis, ut censet Pineda, laborantem
vocat Martyrem, & pluribus Ma
tyribus majorem.

6. Infernum toties meis pec
catis promerui: cur tam parv
doloribus pœnas inferni æterna
redimere nolim?

7. Quid hactenus pro amor
Dei mei feci? quid passus sum
nunc habeo occasionem cumu
landi merita. *Momentaneum ho*
& leve tribulationis meæ, æternum
gloriæ pondus operabitur. Volo
gitur pati amando Deum, & a
mare patiendo.

His aliisq; motivis excitatus æ
ger dicat cum S. Francisco Sera
phico: *Gratias tibi ago Domin*
pro cunctis doloribus meis, quibu

go ut addas centuplum, & hæc
mea consolatio, tuæ voluntatis
impletio.

Plures actus patientiæ, & con-
rmitatis cum Dei voluntate, vi-
infra c. 16. Per hos verò actus
stus animam suam portat in ma-
bus suis, offerendo illam in do-
ribus Deo, tanquam victimam,
citq; cum Psalmista Ps. 118. *Ani-*
a mea in manibus meis semper:
cum Jobo 13. *Animam meam*
rto in manibus meis: sicut sa-
rdos portat manibus hostiam,
am Deo offert: Deus autem
morte hanc animam veluti
ctimam in manus suas recipit,
plectitur, & coronat: unde di-
ur Sap. 3. *Iustorum animæ in*
nu Dei sunt, & non tanget illos
mentum mortis. Eximia lætis-
æ patientiæ in morbis exem-

pla præsertim Caroli Casatii, &
P. Leonardi Lessii, utriusq; è So-
cietate JESU, vide apud P. Na-
dasi in Pret. occup.

CAPUT VI.

Mors justitiæ obligationibus soluta.

VIrtus Iustitiæ est maximè n
cessaria in morte. Nam *Qu*
habitabit in tabernaculo Domi
aut quis requiescet in monte sa
cto eius? nonne is, *qui operat*
justitiam? Psal. 14. Porro
stitia est virtus reddens unicu
quod suum est. Ut ergo m
justa sit, moribundus debet sa
facere obligationibus justitiæ,
te omnes alias, reddendo unic
que quod suum est, si hoc an
non præstitit. Et quidem h
facere debet ante mortem, si

re

ſt per ſe ipſum: vel ſi non po-
ſt, ſaltem per ſucceſſores, ſeu
ecutores ſuæ voluntatis, expri-
endo obligationem in teſta-
ento, vel in alio ſcripto. Lo-
iendo autem in communi, obli
tiones juſtitiæ, quæ obligant
iemlibet ſub peccato, & quidẽ
mortali, ſi materia ſit gravis,
xta omnes Thelogos ſunt hæ:
ima obligatio eſt reſtituendi
na, pecnniâ æſtimabilia, ſi quis
illis aliquem damnificavit.
adix autem hujus reſtitutionis,
xta omnes Theologos, eſt du-
ex: prima ex re accepta, & 2da,
injuſta acceptione. Si quis
bet aliquid alteri ex injuſta ac-
ptione, nempe ex furto, ex ra-
na, ex fraude, ex uſura, vel ex
io contractu injuſto, is debet
tum illud reſtituere, imò eti-
am com-

am compenſare omne damnum inde emergens, lucrumq; ceſſans & quidem quamvis rem ablatam non habeat, & quamvis ex ea nõ ſit factus ditior. Si quis autem debet alteri aliquid reſtituere ex re accepta, quia ſcilicet rem alienam accepit inculpabiliter, bona fide putans eſſe ſuam, is comperto errore, rem debet reſtituere in quantum adhuc exſtat apud illum: ſi autem non exſtat, quia ſcilicet illam bona fide, putans eſſe ſuam, conſumpſit, tunc nihil debet reſtituere, niſi tantum quantum factus eſt ditior ex uſu illius rei, quia v. g. alienam pecuniam in victum expendendo, ſuam non expendit.

2da obligatio juſtitiæ eſt reſtituendi famam, ſeu bonam opinionem alterius læſam. Si quis e

nim

nim injuſtè detraxit famæ alienæ, non ſolùm imponendo falſum delictum alterius, ſed etiam revelando verum, dummodo fuerit occultum, ſeu non notorium; is ex juſtitia tenetur reſtituere famam, ſi nondum aliunde ſit recuperata, vel ſi non ſit detractio condonata ab eo, qui læſus eſt. Et quidem qui alterum infamavit falſum crimen imponendo, tenetur retractare quod dixit, addito etiam juramento, ſi hoc neceſſarium ſit, ut falſa opinio ex animis hominum eximatur. Qui autem verum crimen, ſed occultum, revelavit, quamvis non poſſit dicere, ſe falſum dixiſſe, ne mentiatur; tamen tenetur infamatum laudare in ſimili materia, coram omnibus iis, coram quibus infamavit, non facta mentio-

ne criminis detecti, ut docet Bassæus citans aliós Authores.

3tia obligatio justitiæ est reparandi honorem alterius læsum. Nam si quis injustè aliquem dehonoravit contumeliosis verbis, irrisione, aut gestibus contemptivis; is ex communi Doctorum sententia tenetur ad satisfactionē, sive id fecerit publicè coram aliis, sive privatim coram illo solo: quod fit vel honorifica salutatione, seu tractatione dehonorati, idq; à superioribus erga inferiores fieri debet: vel deprecatione, quam præstare debent inferiores superioribus, & sæpè æquales inter se. Quare hanc deprecationem siquidem aliquis per se ipsum facere non potest, faciat per tertium.

4ta obligatio justitiæ est repa-
randi

randi concordiam inter fratres, ſeu amicitiam, quam quis diſſolvit per ſuſurrationem injuſtam, ſeminando diſcordias inter fratres: is enim tenetur eos inter ſe reconciliare, illis modis, qui pro reſtitutione famæ nuper dicti ſunt,

5to. Pro læſa ſanitate alterius, item pro mutilatione membrorum, & pro vita injuſtè ablata, quamvis multi docent Theologi non eſſe obligationem ex juſtitia dandi bona pecuniaria titulo reſtitutionis, eò quòd per hæc bona ordinis inferioris, non poſsint commēſurari bona ſanitatis, mēbrorum, & vitæ, quæ ſunt ordinis ſuperioris: poteſt tamen eſſe obligatio ex æquitate & charitate ad aliquam pecuniariam ſatisfactionem, ſi heredes occiſi ſint pauperes, & non putentur aliter

mœrorem depoſituri, niſi per talem ſatisfactionem, quam homicida ſine gravi incommodo præſtare poſsit. Cæterum injuſtus homicida, mutilator, & nocens ſanitati, ex juſtitia tenentur ad compenſanda omnia damna conſecuta propter morbum, vulnus, & mortem; v.g. ad ſolvendas expenſas pro chirurgo: immo tenẽtur ad lucrum ceſſans, arbitrio boni viri, non quidem ad totum, ſed quantum ſpes lucri valebat; v.g. ſi propter vulnus inflictum vulneratus non potuit artem ſuam exercere lucroſam, vulnerans tenetur illi tantum dare, quantum valebat arbitrio boni viri, ſpes lucri, detractis illis quæ, ipſe artifex conſumere ſolebat. Inſuper homicida tenetur reſarcire damnum emergens, & lucrum ceſ-

ſans ex homicidio, parentibus occiſi, proli, & uxori. Quæ omnia docent communiter Theologi.

Præter has communes omnibus ſtatibus obligationes juſtitiæ: ſunt aliæ in particulari diverſæ, pro diverſa conditione hominũ. Atq; ita

1. Obligantur ex juſtitia *Eccleſiaſtici Beneficiarii* non religioſi, juxta plurium Theologorum & Canoniſtarum ſententiam, ad expendendam in pias cauſas illam partem fructuum beneficii, quæ eſt ſuperflua congruæ ſuſtentationi eorum; & ſi ſecus fecerint, obligantur ad reſtitutionem in opera pia, ex bonis patrimonialibus, vel ex iis, quæ miniſteriis Clericorum, abſq; beneficio, acquirũt per modum ſtipendii, aut ſuſtentationis, puta ex celebratione

missæ, ex concionibus, & similibus: horum enim bonorum habent plenum dominium, non autem illius partis superfluæ fructuum, quæ ex beneficiis provenit. Non desunt tamen Theologi, qui hujusmodi Clericos excusent à restitutione, quia putant eos peccare quidem mortaliter contra obedientiam ecclesiæ, non tamen contra justitiam.

Præterea iidem Beneficiarii omittentes culpabiliter horas canonicas, vel ex toto, vel ex parte, tenentur restituere ecclesiæ, vel pauperibus fructus beneficii illi diei correspondentes ratione officii divini, detractis illis fructibus, qui respondent aliis functionibus puta missæ, concioni &c. Vide Toletum, qui docet eum beneficiarium, qui habet ex fru-

ctibus beneficii pro singulis diebus unum aureum, si omiserit totum Officium divinum, debere eo die restituere adminimum tertiam partem aurei, nam aliæ duæ partes aurei respondent aliis laboribus.

2. *Principes*, *Magistratus*, *Duces belli* tenentur ad restitutionē, si omittant impedire furta, aliaque civium damna, cum possint sine suo notabili damno vitæ, famæ, honoris, aut fortunarum: quia juxta communem sententiā ad id tenentur ex justitia vi sui officii.

Imò Princeps, cujus authoritate bellum geritur, peccat, & tenetur ad restitutionem, si justa stipendia militibus non provideat, unde isti ad rapinas stimulantur, ut docet Layman, & alii.

Item tenetur princeps ad restitutionem Reipub. faciendam, si ad officia sæcularia Gubernatoris, Prætoris, Judicis, assumat ineptos, qui malè administrant officium. Et multò magis tenentur ad restitutionem, qui imponunt injustas gabellas seu vectigalia. Ita communiter Theologi.

3. *Iudex* tenetur ad restitutionem damnorum, si vel non habita jurisdictione, vel non sufficienter inquisita veritate, vel non servata formâ juris, aliquem injustè condemnaverit, imò si expeditionem causarum notabiliter distulerit, indeq; fuerit causa expensarum, seu damnorum Actori, vel Reo.

4. *Advocatus seu Patronus causæ*, tenetur ad restitutionem de damno illato, si causam injustā cogni-

cognitam ut talem evincat: si ignorantiâ sui officii causam justã perdat, sive etiam ex negligentia: vel si alleget falsum pro vero, vel si leges distorqueat in sensus apertè falsos. Vide Tolet. in sum. l. 5. c. 60.

5. *Domini temporales* tenentur ad restitutionem subditis suis, si eos supra contractum, seu consvetudinem gravent, exigendo ab iis labores, vecturas, donaria. Item non solvendo, vel diminuendo mercedem famulis, vel conductis operariis. Imo si Dominus, sine gravi causa, famulum domo expellat, nondum elapso termino constituto, tenetur ad integram mercedis solutionem.

6. *Famulus* tenetur ad restitutionem Domino, si per ejus frau-

dem, vel negligentiam Dominus damnum patitur: v.g. quando ei à Domino custodia domus, vel rerum demandatur. Similiter custodes sylvarum, lacuum, tenentur ad restitutionem damni Domino, dum non accusant venatores, piscatores.

7. *Milites* tenentur ad restitutionem, si per seipsos, vel per famulos plus exigant, sive in stationibus, sive in transitu, quam illis lex, seu consvetudo permittat: nisi fortè milites sint in extrema necessitate. Item in bello injusto milites qui deprædantur civitatem, tenentur ad restitutionem propriis dominis, si fieri possit: sin minus restitutio facienda in bonum publicum & commune, v.g. per Episcopum. Et quidem si omnes simul mili-

tes confluant, excitantes se invicē, & juvantes, unusquisq; tenetur damnum reparare in solidum: alias singuli tenentur pro rata ejus, quod acceperunt singuli. Vide Bassæum Tit: *Bellum.*

8. *Patres* tenentur providere filiis in futurum, quantum honestè possunt, habitâ ratione circūstantiarum particularium. Præterea non possunt exheredare filios, sine justa causa, & nisi in casibus lege permissis, nec per testamentum possunt illos privare legitima portione. Insuper tenetur Pater dotare filias, quia dos est loco alimentorum. S. Thom. Navar.

9. *Filii* tenentur, quantum possunt subvenire necessitati Parentum tam spirituali, quàm corporali: unde si Parentes nō pos-

ſint vivere, ſine notabili jactura & detrimento ſui ſtatus & conditionis, v.g. mendicando, vel famulando aliis, tenentur filii providere illis neceſſaria, ſi poſsint. D. Thom. Filliucius, Tolet. & alii.

Item, filius qui ſurripuit bona quorum pater habet dominium, vel uſum fructum, ſi notabilem ſummam accepit, rationabiliter invito patre, nec condonante furtum probabiliter; tenetur reſtituere, vel ex re ablata, ſi exſtet, vel ex bonis caſtrenſibus, ſeu quaſi caſtrenſibus. Quod ſi ea nō habeat, tenebitur in diviſione hereditatis cum fratribus computare, quod ſurripuit; niſi forte conſtet, fratres tantundem ſurripuiſſe. Molina, Leſsius.

10. *Heredes* tenentur ad rea-

lia debita Testatoris persolvenda, postquam hereditatem adiverint. Imò heres seu testamentarius in foro conscientiæ tenetur, quamprimum poterit solvere legata. Præterea in iis quæ pertinent ad pias causas, heres tenetur in conscientia adimplere voluntatem testatoris, quamvis illam testator expresserit in schedula, subscripta propriâ manu, sine solemnitate juris civilis, ut docet Sa. Covarruu. & alii.

11. *Maritus*, post mortem suã superstiti uxori tenetur relinquere dotem. Et per hanc dotem omnia bona mariti sunt tacitè hypothecata, uxorq; pro dote recuperanda præfertur omnibus creditoribus, etiam prioribus.

12. *Uxor* tenetur ad restitutionem, si summã notabilem ex bo

nis mariti, vel quorum administratio ipsius est, ipso rationabiliter invito acceperit, etiamsi ex dote, vel ex bonis communibus accepisset. Molina, Filliuc. lædit enim jus mariti. Plura de his Theologi.

His ergo omnibus justitiæ obligationibus curet moribundus satisfacere priusquam moriatur, per seipsum, aut si non potest per seipsum, saltem per suos successores, id diligenter & securè præcavendo; ne cum servo debitore mittatur in carcerem, unde non exibit, donec solvat ad novissimum quadrantem: sed potiùs ut cum Zachæo, reddendo, si quem defraudavit, mereatur audire: *Hodie huic homini à Deo salus facta est.* Et ad hæc Confessarii debent obligare moribundos.

CA-

CAPUT VII.

Mors in Testamento provida.

TEstamentum duplex fieri solet à piis hominibus: unum est dispositio de bonis fortunæ: alterum spirituale de Anima, ejusq; bonis.

De primo testamento hæc notanda sunt pro instructione moribundi. 1. ut tempestivè fiat. Ita enim monet August. lib. de cura Animæ: *fac testamentum dum sanus es, dum sapiens es, dum tuus es.* Sic evitabitur tædium in morte, tuncq; liberior erit moribundus ad cogitandum de Deo, deq; salute animæ suæ.

2. Curandum ut testamentum fiat, aut ratificetur in gratia Dei; nam si fiat ab homine existente in peccato mortali, actus illi dispo-

spo-

ſponētes de eleemoſynis, & de piis legatis, non erunt meritorii vitæ æternæ, nec ſatisfactorii pro pœna, cum magno morientis damno.

3. Si eſt aliqua obligatio reſtituendi, ex iis, quæ expoſitæ ſunt capite præcedenti, nec poteſt illi de præſenti, dum adhuc vivit quis, ſatisfieri, (quod omninò curandum eſſet;) ante omnia creditoribus detur vi teſtamenti ſecuritas clara, ſecundùm rigorem juſtitiæ, ad exſolvendum quàm citiſsimè debitum: ut ita tollantur odia, lites, ſcandala, quæ poſt mortem gravare ſolent animam; cujus ſaluti non debet præferri bonum extrinſecum pecuniæ, nec preces ſeu reſpectus parentum, filiorum, amicorum: hi enim brevi obliviſcentur tui poſt mortem. Quodſi eſſet ſcrupulus de obliga tione

one restitutionis, sequendum
t consilium virorum piorum
doctorum. Si verò personæ,
uibus debetur restitutio, non
possent exprimi, sinè infamia, vel
nè aliquo damno, in testamen-
o, nec manifestari Testamenta-
is vel executoribus; committa-
ur fideli prudentiq; viro solutio
ecura debiti; vel exprimatur in
estamento, dandam esse soluti-
onem illi, qui scripturam vel
chedam manu Testatoris subscri-
tam attulerit; etiamsi opus esset
ro securitate, juramento præsti-
o, de solvendo debito tali per-
onæ.

4. Provideatur uxori; assignē-
tur filiis minoribus Tutores; in-
stituatur si opus est heres, non se-
cundùm passionem odii, amoris,
vindictæ, sed secundùm rectam
ratio-

rationem, ne Deus à te auferat hereditatem vitæ æternæ. Aſsignentur etiam executores teſtamenti, quibus ſecurè confidere poſsis.

5. Cavendum ne aſsignentur ſumptus ſuperflui circa funus quales ſunt *memoriæ marmoratæ* ut eas vocat Auguſtinus, apparatus circa ſarcophagum, convivia hoſpitum lauta. De quo Chryſoſt. hom. de morte: Quid ſibi vult inutilis circa funera ſumptûs qui funerantibus commodum defuncto nullum adfert emolumentum? An non utiliùs hæc Chriſto in pauperibus nudo conferrentur?

6. Si divitiæ affluunt, provideatur potiùs animæ propriæ per eleemoſynas in pauperes, & in ſacrificia, aliaq; ſuffragia; item per

a legata, quales sunt fundatio
n sustentationem pauperum; in
otē orphanorum; in missas pro
efunctis, pro agonizantibus, pro
xistentibus in peccato mortali;
n ornatum templorum &c.

Sic instituies Chtistum in mem-
ris suis, vel in suis Ecclesiis, here
em, qui tibi dabit meliorem su-
m in cœlo hereditatem. Sic
auperes tibi facies amicos, qui
e deficias in via æternitatis, re-
ipient te in æterna tabernacula.
am ut dicitur Tob. 12. *Eleemo-
yna non patitur ire in tenebras, &
psa est; quæ facit invenire miseri-
ordiam, & à morte liberat.* Unde
nonet Chrysol. ser. 8. de jejun. &
leem. *Thesaurus est manus pau-
eris, quidquid recipit, reponit in
ælo.* Quare hîc servandum est,
nonitum Augustini, ut moriens
si ha-

ſi habet unum filium, putet Chriſtum eſſe alterum; ſi habet duos, Chriſtum putet tertium.

6. Quodſi quis eſt pauper; deſideret ſaltem, & in voto facia eleemoſynas, & pia legata. Nam ut dicit Auguſt. in Pſal, 103. *Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem.*

Quod ſpectat ad alterum Teſtamentum ſpirituale; hoc faciun tempeſtivè ante mortem viri ſancti, cum magno meritorum proventu, habentq; illud ſubſcripti manu ſua, & ſemper affixum ad lectum; quod ſæpiùs ſingulis menſibus, vel ſaltem ſemel in hebdomada, maximè in morbo relegũt, innovant, & reſtaurant. Exemplum ejus hîc propono.

Teſtamentum ſpirituale anim

In nomine, & in conſpectu omni

dem Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S, coram Sacratissima Virgine Maria, & curia cœlesti universa, ego infrà scriptus, sanus mente & corpore, cum perfecta libertate, & deliberatione, facio Testamentum, testorq; hanc esse meam ultimã & irrevocabilem voluntatem, quam nolo ullis contrariis actibus esse mutatam, sed potiùs eam singulis reliquæ vitæ meæ momẽtis, ac in extremo vitæ meæ instanti, volo approbare ac innovare, jamq; ex nunc pro tunc approbo, & innovo.

1. Protestor, me vivere & mori Catholicum, & filium S. Romanæ Ecclesiæ obsequentissimũ, in fide Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Hac fide firmissime credo super

omnia, & profiteor omnia & ſingula, quæcunq; eadem S. Romana Eccleſia, credenda proponit, idq; propter infallibilem veracitatem Dei revelantem, quæ in hac Eccleſia non potuit facere, nec permittere in confirmationem hujus fidei, tot prophetias impletas, tot miracula, tot martyria, tot virorum ſanctorum & doctorum, totiusq; orbis conſenſum, quin revelaret ea, quæ credimus. Hanc fidem usq; ad extremū halitum conſervare volo; & ſi aliqua contraria cogitatio mihi occurreret, vel ſignum excideret, id ex nunc pro tunc revoco, irritumq; eſſe volo, & me ad hanc proteſtationem refero.

2. Proteſtor, quod Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. Creatorem meū, ſimulq; Dei Filium

Jeſum

ſum Chriſtum Redemptorem
eum, tota ſubſtantiæ meæ ad
ntrum nihili mei demiſsione a-
ro cultu latriæ, & recognoſco
recipio in primum principium
timumq́; finem rerum omnium.
oinde ejus altiſsimo dominio,
juri proprietatis, quod habet
me, meaq́; omnia, tum eſſen-
ali, tum acquiſito titulo crea-
onis, conſervationis, redempti-
nis, meæq́; ſpontaneæ electio-
s, me totum penitus, ac mea o-
nia tam intrinſeca, quàm extrin
ca bona, pleniſsimè ſubiicio, in
ta, morte, & æternitate, tan-
uam ejus, jumentum, vermicu-
s, & figmentum.

3. Confiteor me eſſe peccato-
m, cœlo indignum, non ſemel
ignum inferno, ideoq́; diffido
enitus meritis meis, ſed me pro-

jicio

jicio in abyssum misericordiæ Dei, & in mari infinitorum Chri sti meritorum submergo. Abys sus abyssum invocat: abyssus mea miseriæ, abyssum Dei misericor diæ. Abscondo me à facie furo ris Domini in humo fossa, & i foraminibus petræ, id est in vu neribus Salvatoris mei. Ab ips irato fugio ad ipsum pro me v neratum. In ejus infinita bon tate, & in meritis Redemptor mei spero veniam peccatorum gratiam, & gloriam. Ita sperai do spirare, & exspirare volo.

4. Protestor, quod velim mo cum charitate in Deum, in ch ritate, & ex charitate ferventis ma. Hac charitate nunc & p instanti mortis meæ, æstimo, amo super omnia Deum meu toto cordis mei affectu, summ

inten

tensivè, summè objectivè, summè appretiativè; non solùm ideo, quia mihi est summè bonus, sed multò magis, quia in se & sibi est summum bonum, purum bonũ, omne bonum, tanquam fons & pelagus omnis boni tam naturalis, quàm supernaturalis.

5. Ex hoc erga Deum amore, super omnia detestor & retracto omnia & singula peccata mea, pro iisq; doleo, quia Deo displicent, quia sunt offensa & malum Dei summi boni, quem super omnia diligo. Utinam nunquam Deum offendissem. Nolo unquam ullo peccato eum offendere, quia hæc est voluntas dignitatis ejus, & hæc est dignitas ejus voluntatis; maloq; propterea pati omnia mala temporalia & æterna, quàm ullum peccatum cõmittere.

 6. Pro:

6. Proteſtor, quod in articulo mortis ardenter exoptem ſuſcipere prout oportet, Sacramenta pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ unctionis. Ad hæc vaſa miſericordiæ divinæ, & theſauros meritorum Chriſti, tunc cum omni fiducia, & diſpoſitione requiſita recurrere volo, ut vi horum ſacramentorum recipiam ex opere operato remiſsionem peccatorum, augmentum gratiæ ſanctificantis, & auxilia gratiæ actualis opportuna.

7, Proteſtor, quod in eodem mortis articulo, velim conſequi omnes indulgentias, quaſcunque tunc lucrari poſſum, ideoq; mihi eas tunc applicari peto. Ad hunc finem, cum vera cordis contritione ſacroſancta nomina JESU & MARIÆ, tunc etiam proferre deſidero.

8. Ne ingratus moriar: Deo meo gratias ago infinitas pro omnibus beneficiis mihi indigniſſimo ab inſtanti meæ exiſtentiæ, per omnia momenta durationis hucuſq; collatis, & totâ æternitate conferendis. Gratias Patri pro beneficio creationis & conſervationis. Gratias Filio pro beneficio redemptionis. Gratias Spiritui S. pro beneficio ſanctificationis & vocationis. Gratias Dei Matri pretioſiſsimæ, Angelo cuſtodi, omnibuſque SS. Patronis pro tutela & protectione mea. Gratias omnibus meis Parentibus, Superioribus, Benefactoribus, & Amicis, pro omnibus in me charitatis officiis.

9. Deprecor cum omni demiſsione meos Parentes, Superiores, Amicos, omneſque alios quoſ-

quoſcunq́; aliqua ratione afflixi, vel exemplo pravo ad malum provocavi, vel læſi ſive in fama, ſive in honore: & cum pedes ſingulorum modo oſculari nequeam, in hoc Crucifixo oſculor, ac per Chriſti manſvetudinem oro, ut mihi omnes offenſas condonare velint.

10. Proteſtor, quod ipſe ſincerè & ex animo condono omnibus, quicunq́; me quandocunque læſerunt, vel afflixerunt: omnes amanter in Domino amplector, iiſq; omnia bona tam temporalia quàm æterna à Deo peto. Quam charitatem extendo ad eos etiam, quicunq; me poſt mortem in fama vel honore læderent. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum: ſed illis ignoſce.

11. Diſpoſitionem bonorum

meorum talem facio. Habeo nonnisi duo æra minuta, nempe corpus & animam. Ex his, *corpus revertatur ut pulvis in terram suam, unde est: & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Eccl. 16 Restituo ergo terræ corpus meum, escam vermibus, optoq; ut omni honore careat, quia nullo dignum est. Animam verò restituo Deo Creatori ejus, ac Redemptori, & supremo Domino proprietatis irrevocabiliter trado, ac immolo. Non audeo eam, tot peccatis contaminatam in vulnera Salvatoris mei deponere: sed depono illam sub pedibus ejus, ut sit scabellum pedum ipsius, cum aliis suis inimicis. Simul autem cum Anima eidem Domino meo restituo omnes meas potentias, & qualitates, quidquid

ſum, quidquid poſſum, quidquid habeo ab ejus bonitate. Item omnes meas actiones, paſsiones, omiſsiones, ſi quæ in vita mea per eius gratiam bonæ fuerunt, omnes nunc approbo, renovo, & ſangvine Chriſti aſperſas, ac manibus ejus benedictas, depono in vulneribus Salvatoris mei; nam merita mea ſunt dona Dei: nec ego illa feci, ſed gratia Dei mecum.

12. Proteſtor, quod de omnibus poſt mortem meam eventibus, tam quoad corpus, quàm quoad animam, & alia mea bona, totum me pleniſsimè reſigno in Dei voluntatem, ut de omnibus ille diſponat pro ſuo arbitrio, ad guſtum & gloriam ſuam: atq; ita me ejus ſubjicio voluntati ad omnem apud homines contem-

ptum

ptum & infamiam, ad breve vel longum purgatorium, ad gradũ gloriæ quem dare voluerit, imò etiam ad mei condemnationem & annihilationem, secluso peccato, si ita ei placeret. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* 1. Reg. 3.

13. Protestor, quod omnium bonorum meorum post Deum Hæredem instituo Dominã meam, & Matrem pretiosissimam, Virginem Mariam, cujus volo vivere & mori, mancipium, Filius & Hæreditas, ac proinde in maternas ejus ulnas animam meam, & omnia mea repono.

14. Quia verò post mortem spero me habiturum aliqua suffragia; ex charitate, mediam partem illorum applico animabus in purgatorio, præsertim illis quæ in

amore JESU & MARIÆ fuerunt magis ferventes, & quæ meis magis indigent suffragiis, aut quæ omnibus carent.

15. Hujus meæ ultimæ voluntatis pro Executoribus, & animæ meæ in supremo agone Tutoribus, post Deiparam Virginem, eligo & esse precor SS. N. N. Cõtra dæmonis in morte assultus. Protectorem eligo S. Michaelem militiæ cœlestis Principem, draconisq; Victorem. Ductorem animæ meæ ad cœlum eligo S. Angelum Custodem. Pro ultima dispositione mea ad mortem, & pro suggerendis piis affectibus, S. Franciscum Xaverium. Procuratricem contritionis & Sacramenti Pœnitentiæ, S. Magdalenam. Procuratricem Sacri Viatici S. Barbaram, cui comites, ad-

eſſe precor B. Aloyſium, & B. Stanislaum. Deniq; contra flammas purgatorii Protectorem precor S. Laurentium Martyrem.

In fidem horum omnium, hoc meum Teſtamentum, coram præfatis SS. Patronis, ad id ſpecialiter requiſitis, manu mea ſubſcribo, ratum firmumque eſſe volo. Anno N. die N. menſe N. Ego N. N.

CAPUT VIII.

Mors Sacramento Pœnitentiæ expiata.

CIrca hoc Sacramentum, pro meliori inſtructione infirmi, aliqua ſunt obſervanda.

1. Conſultiſsimum eſſe, ſtatim in principio morbi cujuſvis præmittere ſacramentalem peccatorum confeſsionem; de quo ex-

ſtat Conſtitutio Innocentii III. & Pii V. pro medicis. Ratio hujus eſt: Tum quia ut ait Ambr. lib. 6. in cap. 8 Lucæ: *Infirmitas pœna peccati eſt*; & ut ait Baſil. *morbi flagella ſunt peccatorum*: quibus proinde per confeſsionem ſublatis, morbi etiam ſæpè ceſsāt. Tum quia infirmus ſi eſt in ſtatu peccati mortalis, per confeſsionē initio morbi præmiſſam, fit in ſtatu gratiæ, adeoq; redditur capax, ut per morbum mereatur, & ſatisfaciat pro peccatis. Tum quia fieri poteſt, ut æger creſcente morbo, aut nimis debilitetur, aut incidat in phreneſim, vel deliquium, vel alienetur à ſenſibus, & ſic reddatur, cum damno ſuo irreparabili, incapax hujus Sacramenti. Unde Aug. ſerm. 17. de verb. Domini dicit: *Ipſa res eſt, quæ multos*

tos occidit, dum dicunt, cras, cras, & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum.

2. Observandum est, omnes fideles, in articulo mortis, præcepto divino obligari ad confessionē sacramentalem, etiamsi eo anno confessi fuerint, si sint conscii peccati mortalis; ac proinde si tunc omittant confessionem, novum peccatum mortale committunt. Tenentur enim præcavere periculum suæ dámnationis, & consulere securitati suæ salutis, ad quam securitatem medium necessarium est confessio. Ita communiter Theologi Vasq. Reginal. Layman. Sotus. Henriq. &c.

3. Observandum est, utile esse, ut in periculo mortis fiat confes-

ſio generalis, ſi non eſt facta, vel ſi facta pridem; quod maximè ſvadendum iis, qui vitam licentiorem egerunt, vel cum minori præparatione Sacramentum Pœnitentiæ frequentarunt. Quanquam viri etiam ſancti, hujus generalis ante mortem confeſsionis nobis exemplum dederunt, nempe S. Dominicus, S. Elzearius, S. Catharina Senenſis, & alii. Sic enim magis providetur ſecuritati ſalutis, dum per hujuſmodi confeſsionem generalem ſupplentur defectus, qui fortè in confeſsionibus particularibus contigerunt, aut ex parte jurisdictionis in confeſſario, aut ex parte doloris & propoſiti in pœnitente, aut ex parte non integrè explicati numeri peccatorum, vel circumſtãtiarum neceſsariarum, ſive id cõtige-

tigerit per oblivionem, sive per defectum præparationis. Cæterum id fieri debet, quantùm vis morbi, aliæq; circumstantiæ permittent, sine nimia solicitudine de numero, nisi fuissent invalidæ confessiones; sufficitq; sola exprimere peccata, quæ magis gravāt. Si tamen æger esset obnoxius scrupulis, prudentis confessarii judicio stabit, an sit illi facienda tunc etiam confessio generalis.

4. Exemplo Sancti Francisci Borgiæ, bis quotidie, etiam extra morbum confitentis, & aliorum, utile est, tempore morbi frequenter confessiones repetere; tum quia hoc modo augentur ex opere operato gradus gratiæ sanctificantis, & cum eadem proportione augentur omnes habitus virtutum per se infusi, & similiter

gradus

gradus gloriæ. Tum quia vi Sacramenti conferuntur plura auxilia ad præcavenda peccata. Tum quia hoc modo perſolvitur ſatiſfactio pro pœna.

5. Cùm juxta omnes Theologos ad valorem hujus Sacramenti non ſufficiat dolor de peccatis naturalis, ſed requiratur ſupernaturalis; excitari debet infirmus, ut per fidem apprehendat Deum quem offendit, tanquam finem ſupernaturalem ultimum, à quo ſe avertit, ut Authorem gratiæ & gloriæ, ut ſummè in nos, etiam per dona ſupernaturalia, ac præſertim per incarnationem beneficum, ut ſummum in ſe ac infinitum bonum; ita enim eliciet actum ſupernaturalem doloris, dolendo quod tale bonum contempſerit, quod tantæ maieſtati præ-

cipienti inobediens, quod tantis beneficiis ingratus fuerit, quod *Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti* (Hebr. 10.) *pollutum duxerit.*

6. Quia fieri potest, ut in anima infirmi maneat aliquod peccatum occultum, cujus ipse non meminit; ut hoc etiam vi Sacramenri saltem indirectè tollatur, curandum omninò est, ut dolor & propositum extendant se ad omnia peccata, ac proinde ut fiant ex motivo universali, nempe dolendo ex motivo *obedientiæ*, quia peccatum quodvis est transgressio præcepti Dei, ut supremi Legislatoris: vel ex motivo *justitiæ*, quia quodvis peccatum est læsio supremi juris divini, quod habet supra nostras actiones: vel ex motivo *religionis*,

quia

quia quodvis peccatum est irreverentia summæ divinæ majestatis, & subtractio cultus illi debiti: vel ex motivo *gratitudinis*, quia quodvis peccatum est ingratitudo pro tot beneficiis divinis: vel ex motivo *spei*, quia quodvis peccatum avertit hominem à fine ultimo, ad quem est conditus. Sed potissimum curandum est, ut dolor hic fiat ex motivo *charitatis*, quia peccatum est malum Dei summi boni, quia displicentia contra gustũ Patris omni amore dignissimi. Quod ideo addo, quia non desunt aliqui Theologi, qui ad valorem hujus Sacramenti requirant dolorem conceptũ ex aliquo erga Deum amore.

7. Eodem modo concipiendũ est firmum emendationis propositum absolutum & universale vitandi

tandi omnia prorſus peccata, quia hæc eſt dignitas Dei voluntatis, & hæc voluntas ejus dignitatis.

8. Siquidem infirmo non poteſt quandoq; commodè aſsignari pœnitentia alia, poſſent in vim ſatisfactionis imponi ipſi dolores morbi, qui hoc modo elevantur, ut ex opere operato, tanquam pars Sacramenti, majorem in hoc genere præſtent effectum. Qua de cauſa aliqui morituri petunt in vim ſatisfactionis etiam ipſam mortem ſibi à confeſſario injũgi.

9. Jllud addendum eſt, multùm expedire, ut moribundus pactum habeat cum Confeſſario, vel adſtantibus ſuam exponat voluntatem, Confeſſario per illos teſtãdam, ſe deſiderare in puncto mortis abſolutionem ſacramentalem; & in ordine ad eam obtinendam

testetur suum de omnibus peccatis dolorem, & propositum emẽdationis. Sic enim alienatus à sensibus, vel nullum signum in morte exhibere valens, posset absolvi saltem sub conditione.

Actus varios contritionis, qui possent elici in susceptione hujus Sacramenti, ex scriptura, & ex S. Augustino vide infra cap. 16.

Hic etiam servire potest applicatio sibi sangvinis Christi per modum balnei, & oblatio Christi crucifixi, ejusq; meritorum pro suis peccatis, cujus utriusq; exercitii praxis habetur infrà cap. 17.

CAPUT IX.

Mors Sacramento Eucharistiæ provisa.

Circa hoc Sacramentum hæc sunt observanda.

imum: eſſe præceptum divinum de ſumenda Euchariſtia pro articulo mortis, graviter obligãs, ut fert ſententia communis Theologorum cum Suarez, Hnriqu. Layman; quod colligitur ex conſvetudine, in pluribus conciliis firmata. Unde ſi quis antequam in morbum incidat per longius tempus, puta per menſem, non communicaverit, is in morbo periculoſo obligatur ad communionem ſacram. Imò aliqui putãt obligari in articulo mortis eum, qui extra hunc articulum quamvis proximè communicaverit.

2do obſervandum eſt, Sacram Euchariſtiam ſumi poſſe ab infirmo, vel per modum Sacramenti præciſè; vel per modum viatici. Ut hoc Sacramentum non in forma viatici æger ſæpè ſumat in ſua

infir-

infirmitate consultissimum est. Imò in nostra Societate permisit omnibus nostris infirmis P. Vincentius Carafa Præpositus Generalis, ut singulis diebus possint vesci hoc cœlesti pane, tum propter incrementum solatii, tum propter robur contra vim morbi, & contra varias tentationes periculaq; peccandi. Quod enim majus infirmo solatium esse potest, quam sæpius intra se suscipere Patrem, Pastorem, Medicum animæ, imò vitam animæ, & pignus vitæ æternæ? juxta illã Christi promissionem Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Unde verò robur majus ægro provenire potest, quam ab hoc cibo, efficacissimo ad

ad restituendas ex opere operato animæ vires, si quæ deperditæ sunt, easdemq; conservandas, nutriendas, & augendas, contra impatientiam, aliasq; in morbo tentationes.

3. Per modum viatici dum sumitur hoc Sacramentum, confert ex opere operato specialia auxilia juvantia in morte. Et hoc modo in articulo mortis potest dari non jejuno, quando nõ potest exspectari commodè tempus, ut administretur jejuno, prout statuit Concilium Constantiense. Imò infirmus qui semel cõmunicavit per modum viatici nõ jejunus, post aliquot dies, (puta per Suarez, Henriquez, Reginaldum, Filliucium, post sex vel octo dies; per Layman verò, & Gasp. Hurtado etiam post duos dies

dies, si æger assvetus sit frequenter communicare, & urgeat devotio, seu desiderium communicandi,) potest communicare per modum viatici non jejunus, etiam in eodem morbo, durante periculo mortis. Inducendus autē æger ut sacrum viaticū sumat tēpestivè, propter casus insperatos. Nec timenda mors sumenti illud. Nam ut ait Ambr. ser. 18. in Psal. 118. *Quomodo morietur cui cibus vita est?* Et Ignat. ep. 24. ad Eph. hoc Sacramentum vocat mortis antidotum, pharmacum immortalitatis.

4. Porrò curandum est, ut hoc Sacramentum propter summam excellentiam ejus, sumatur cum magna reverentia, non solùm interna, sed etiam externa, ita ut sumatur si fieri potest genibus flexis

xis

xis, procedendo etiam obviam Chriſto hoſpiti advenienti, ut à multis factum eſt infirmis. Quod ſi morbus id non permittat, ſaltem erigat ſe æger, Deumq; præſentem in hoc Sacramento, demiſſo capite veneretur. Exemplum hujus reverentiæ, & humilitatis præbet S. Hieronymus, & alii, de quibus cap. 20. Cum hac reverentia poſſet tunc recitari Proſa S. Thomæ Aquinatis, ſalutando Chriſtum præſentem: *Adoro te devotè, latens Deitas, quæ ſub his figuris verè latitas, tibi ſe cor meum totum ſubjicit, & te amando, totum deficit.* vel cum S. Auguſtino: *Ave principium noſtræ creationis. Ave principium noſtræ reparationis. Ave ſacrificium noſtræ reconciliationis. Ave antidotum noſtræ curationis. Ave*

viati-

viaticum nostræ peregrinationis. Ave refugium nostræ tribulationis. Ave præmium nostræ exspectationis.

6. Eliciantur *actus fidei* de hoc Sacramento, dicendo: Agnosco te JESU Christe Fili Dei, & firma fide credo ac profiteor, in Sacramento te esse verè & realiter præsentem verum Deum & hominem, cum corpore, sangvine, anima, & divinitate tua, idq; ideo quia tu id dixisti. *Verè tu es hic Deus absconditus & Salvator.* Isa. 45. Cum hac fide, in hac fide, & ad protestandam hanc fidem, modo te Redemptor mi volo suscipere in hoc Sacramento.

Item *Actus spei.* JESU benignissime in tua infinita bonitate, omnipotentia, & fidelitate promittente vi hujus Sacramenti vi-

tam

tam æternam, necnon in meritis tuis, quæ ſunt in hoc Sacramento, ſpero remiſsionem peccatorum, gratiam finalem, & vitam æternam. Cum hac, in hac, ex hac ſpe, te ſuſcipio, ut applicem mihi merita tua, ut in ſangvine tuo me abluam, ut te in me habeam Auxiliatorem & Defenſorem meum, ut conditionem impleam tuæ promiſsionis dicentis: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

7. Sed præcipuè ad excitandã majorem devotionem, & fervorem charitatis, proponi poſſunt infirmo hæc motiva. Ecce ſponſus venit; exeamus obviam illi cum ardente lampade cordis noſtri, ut cum eo ad nuptias æternas ingrediamur. Dicamus ergo: Paratum cor meum Deus,

paratum cor meum; tu illud accende amore tuo ô ignis, qui semper ardes, & nunquã extingveris.

Venit, & quasi obviam nobis cum Angelis procedit Ductor noster ad cœlum, ut nos illuc assumat, ducatq; in via tam periculosa, sicut promisit Joan. 14. *Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum.* O Dux peregrinationis meæ, me totum tibi trado, accipe me, & duc ad teipsum.

Venit bonus Pastor, ut ovem errantem humeris suis impositam ferat ad cœlum. En ego ovis perdita. Veni bone Pastor, susci pe animam meam, & nemo poterit eam de manu tua rapere; impone eam humeris tuis, & fer ad pascua semper virentia.

Venit Protector & Defensor noster, ut in hoc periculoso agone contra assultus dæmonum nobis assistat. Veni Protector animæ meæ: *Pone Domine me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Job. 17.

Venit Princeps pacis, qui omnia pacificavit in sangvine suo, ut nos reconciliet cum Deo, signumq; suæ amicitiæ declaret, dicitque: *Pax vobis, ego sum nolite timere.* Luc. 24. Ergo amplector toto cordis mei affectu tam bonum, tam mei amantem Dominum, servus ipsi rebellis.

Venit Dominus munificentissimus, & in suis promissis fidelissimus, datq; se nobis in pignus futuræ gloriæ, & promittit nobis vitam beatam post mortem, vi hujus sacræ communionis; dicendo:

do: Joan. 6. *Qui manducat me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Imo corpus suum uniendo nobis, dat corpori nostro, vitâ mox spoliando, jus ad futuram felicem resurrectionem, dicendo Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ergo istud pignus vitæ æternæ, lætus suscipio, & intra penetralia cordis mei repono.

8. Addi possunt Invitationes Christi venientis in Eucharistia, „ ex S. August. JESU nostra „ redemptio, amor & desideriũ, „ te invoco, ad te clamo clamo- „ re magno, te invoco in ani- „ mam meam, intra in eam, & „ coapta eam tibi, ut possideas „ eam sine ruga, & sine macula: sancti-

ſanctifica me vas tuum, quod fecisti, de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conserva, ita ut dignum efficiatur habitationis tuæ templū nunc & in perpetuum. Med. c. 35.

Deus lumen cordium te videntium, & vita animarum te amantium, veni rogo in cor meum, & ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviscatur iſta temporalia - - - Veni ad me, ut videam te. Sed anguſta eſt mihi domus animæ meæ, quouſq; venias ad eam, & dilatetur à te. Ruinoſa eſt, refice eam: habet plurima quæ offendant oculos tuos, fateor, & ſcio: ſed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo: Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo? Manual. c. 5.

„ Ignis qui semper luces, amor
„ qui semper ardes, dulcis Chri-
„ ste, bone JESU, lumen æternũ
„ & indeficiens, panis vitæ, qui
„ nos reficis, & tu non deficis,
„ quotidie comederis, & semper
„ integer manes, resplende mihi,
„ illumina me, & sanctifica vas
„ tuum, de malitia evacua, im-
„ ple de gratia, & plenum con-
„ serva, ut ad salutem animæ
„ meæ manducem cibum carnis
„ tuæ; quatenus manducando te,
„ vivam de te, vivam per te, per-
„ veniam ad te, & repausem in
„ te. Man. c. 11.

9. Post sacram communionẽ occupet se æger in quiete cum tanto Hospite, quem suscepit, e liciatq; quantum vires permittẽt.

Actus amoris, dicendo affectu ardentissimo: Dominus meus & Deus

Deus meus, & omnia. Quid e-
go volo præter te, aut quid ve-
lim Deus cordis mei, & pars mea
Deus in æternum. Tu mihi ſuf-
ficis omne bonum meum. Te i-
gitur unicum bonum meum ne-
ceſſarium deſidero, te amo, te
quæro, in te ſolo quieſcere volo
in æternum.

*Actus gratiarum actionis pro vi-
ſitatione Sacramentali.* O boni-
tas Dei mei, quomodo ſuper me
multiplicas miſerationes tuas! Et
unde hoc mihi, quod Deus me-
us venerit ad me? Reſpexiſti
Domine ſuper canem mortuum
ſimilem mei. Benedicta ſit in
æternum hæc tua bonitas. Be-
nedicta viſcera miſericordiæ Dei
noſtri, in quibus viſitavit me ori-
ens ex alto. Magnificat anima
mea Dominum, & exultavit ſpi-

ritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem servi sui.

Actus spei fieri potest, cum Psalmista hoc modo. Non timebo mala quoniam tu mecum es. *vel cum S. Paulo.* Si Deus mecum, quis contra me? Si Deus se mihi modo donavit, quomodo etiam secum non omnia mihi donabit, etiam finalem perseverantiam, & vitam æternam? Ita spero: miserere mei Deus, quia in te confidit anima mea. Psal. 56.

Actus oblationis sui. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Ecce me totum, vitam meam, & omnia mea, pro te toto Domine, tibi restituo, dono, & sacrifico. Totus sum tuus, eroq; in æternum, si-
cut

cut modo totus tu meus esse voluisti. Suscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, vitam meam, omnes potentias meas, & omnia quæ mihi largitus es: hæc omnia intra vulnus lateris tui depono, & sepelio: amorem solum tuum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec quidquam ultra posco.

Actus petitionis. Domine in me præsens tu vides indigentias, & paupertatem meam: miserere mei sicut scis, vis, & potes. Visita intellectum meum obscurum, & illumina fide viva, ne unquam obdormiam in morte, & post mortem da lumen gloriæ. Visita meam tepidam voluntatem, & accende illam igne illo amoris tui, quem venisti mittere in ter-

ras; da illi etiam constantiam in bono, & conformitatem cum tua voluntate. Visita appetitum concupiscibilem: ibi vides inordinatum ad creaturas amorem, desideria nociva, inanem lætitiam, tristitiam inutilem: compone istas passiones. Visita appetitum irascibilem, da in eo mansvetudinē, patientiam, fortitudinem. Tolle Domine in anima mea, quidquid tibi displicet, & pone in ea quod tibi placet. Addi potest devota S. Ignatii oratio: *Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi salva me.*

P. Vincentius Carafa svadet post sumptum viaticum, recitare illud ex hymno S. Thomæ: *O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostia, bella premunt hostilia, da robur fer auxilium.* Posset item

usurpari illud ex prosa ejusdem S: Doctoris: *IESV quem nunc velatum aspicio, oro fiat illud quod tam sitio, ut te revelata cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ.*

Carolus V. Imperator post sumptum viaticum fertur ita orasse: *Domine manes in me, utinam ego maneam in te in æternum.* Hosius Card: cum Apostolis in Emaus dicebat: *Mane mecum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies.* P. Martinus Stredonius S. I. orabat: *Rex meus & Deus meus, dona mihi animam meam pro qua oro, & beatã ex hac vita migrationem pro qua obsecro. Tuæ dulcissime IESV moriens amaritudines, dulcorent mihi amaritudines mortis meæ.*

Plures actus fidei, spei, charitatis, adorationis, gratiarum actionis

nis, oblationis sui, petitionis, habentur infra cap. 16.

CAPUT X.

Mors Sacramento extremæ unctionis munita.

IN usu & administratione hujus Sacramenti hæc observanda.

1. Ad concipiendam hujus Sacramenti æstimationem exponendi sunt infirmo effectus illius, quod institutum est à Christo *tanquam consummativum totius vitæ Christianæ*, ut docet Concil. Trident. sess. 14. 1mo enim hoc Sacramentum ex opere operato auget gratiam sanctificantem in anima suscipientis. 2do. minuit ex opere operato reliquias peccatorum, nempe habitus, & inclinationes malas, ac pœnã. 3tio juxta aliquos Theologos ex opere ope-

to operato, non quidem per se, sed per accidens, tollit peccatum mortale, quando scilicet non fuit per Sacramentum pœnitentiæ expiatum, ob ignorantiam; vel cōmissum est post Sacramentum pœnitentiæ, nec advertitur. 4to, aliquando confert sanitatem corporalem, si saluti animæ expedit. 5to, ex opere operato confert auxilia, id est illustrationes, & inspirationes, quæ excitant varias in ægro virtutes, nempe spem, & fiduciam contra timorem mortis, fortitudinem ad vincendas tentationes dæmonis, conformitatem cum Dei voluntate; quibus virtutibus alleviatur infirmus, ut ait S. Jacobus, & corroboratur, percipitq; solatia, quæ leniunt molestias morbi, ac mortis. Hos ergo effectus petat à Deo infirmus vi hujus Sacramenti,

2. Ad excitandam devotionẽ poſſunt narrari quidam favores divini in uſu hujus Sacramenti exhibiti, quos refert inter alios P. Recupitus. Nam fertur hoc Sacramentum recepiſſe B. Raynaldus Dominicanus, per manus B. Virginis. S. Lidvina dicitur illud recepiſſe à Chriſto, in præſentia B. Virginis, & Angelorum. Mariæ Oegniacenſi, dum ungeretur, dicitur Chriſtus aſtitiſſe cum cruce, & Apoſtoli. Etiam B. Virgo hoc Sacramentum recepit ante ſuam mortem, prout docet Suarez, Caniſius, & alii.

3. Quamvis ergo non ſit præceptum graviter obligans ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, nec ſit mortale peccatum illud omittere ſecluſo contemptu, aut ſcandalo; tamen propter multas utilitates

tates, monendus eſt æger, ut hoc Sacramentum tempeſtivè ſuſcipiat, dum adhuc pollet integro uſu rationis & viribus, ut tanto fructuoſius illud ſuſcipiat, intelligendo ſigna ſymbolica hujus Sacramenti, & per varios actus ſe diſponendo ad uberiorem effectũ, vi hujus Sacramenti recipiendum. Tempus autem ſuſcipiendi hoc Sacramentum eſt mortis periculum ex morbo, ex vulnere lethali, ex veneno, ex partu, ex ſenectute: hi enim ſoli ſunt capaces hujus Sacramenti. Si autem hoc periculum non eſſet, hoc Sacramentum non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè conferretur. Cæterum periculum iſtud mortis ſufficit ut ſit probabile, nec exſpectandum eſt evidens, aut extremum vitæ periculum, ita ut o-

mnino salus desperetur. Ita cõmuniter Theologi.

4. Hoc Sacramentum est iterabile, recurrente novo periculo mortis, & quidem non tantum in diversis morbis, sed etiam in eodem diuturniore, si morbi status mutetur: ut si inunctus mortis periculum evaserat, & in idem periculum rursus incidat, quamvis non recuperavisset sanitatem post morbum, potest iterum inungi, & quidem toties, quoties hoc periculum recurrit. Quando tamen infirmitas non est diuturna, & unum tantum est periculũ mortis, non debet repeti hoc Sacramentum. Ita Bassæus cum D. Thoma, Suario, Syluio, & aliis.

5. Circa administrationem hujus Sacramenti sciendum, ad valorem ejus requiri quinq; unctiones

nes quinq; sensuum, quamvis ungere pedes, multo magis renes, non sit essentiale. Quodsi pars ungenda sit mutilata, vicina pars est ungenda: id tamen non necessariò fit à sacerdote contactu manus immediato; quia peste grassante potest fieri virgâ oblonga, oleo tinctâ, quæ comburenda est. Ita Sylv. Diana. In casu necessitatis sufficit, etiam sine forma crucis, velociter ungere unũ oculum, unam aurem, narem, os, manum, dicendo: *Per has sacras unctiones indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum deliquisti.* Ita Suarez, Diana, Henriquez.

6. Sano vel mortuo non potest dari hoc Sacramentum, sicut nec infanti, aut perpetuo à nati-

vitate

vitate amenti, aut non baptizato, aut damnato ad mortem, aut naufraganti. Si tamen quis antea sanus, in phrenesim incideret, in periculo mortis, posset illi conferri hoc Sacramentum, cessante periculo irreverentiæ. In dubio verò de vita infirmi, dandum est ei sub conditione. Ita communiter Theologi.

7. Quod spectat ad dispositionem proximam suscipientis hoc Sacramentum, requiritur imprimis ex parte ejus intentio aliqua suscipiendi illud, saltem interpretativa, qualem habent, qui Christianè vixerunt, ut cum aliis docet Bassæus. Deinde usu receptũ est, ut prius conferatur infirmo Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, tum Sacramentum extremæ unctionis; quamvis antea

hoc

hoc Sacramentum conferebātur ante Sacramentum Eucharistiæ, post confessionem. Non est tamen peccatum mortale talem ordinem immutare. Imò si quis non posset confiteri & communicare oppressus infirmitate, deberet illi administrari hoc Sacramentum ante alia. Præterea infirmus compos mentis, & habens conscientiam peccati mortalis, tenetur ante usum hujus Sacramenti elicere actum perfectæ contritionis, ne ponat objcem gratiæ. In eo autem qui non est conscius peccati mortalis, sufficit prævia attritio. Ita Bassæus cum Henriquez & Sylvio.

8. Pro majori devotione, infirmus dum sacro oleo ungitur, eliciat dolorem de abusu sensuum, singulosq; interim abluat in

balneo

balneo sangvinis Christi, qui sangvis symbolicè significatur per oleum. Nam Christus à Deo Patre est unctus oleo exultationis, & nomen ejus dicitur *Oleum effusum.* Itaq; *dum unguntur oculi*, dicat: Doleo propter te Deus, summum bonum meum, de omnibus peccatis per visum commissis; abluo oculos meos in sangvine D. JESU, quo oculi ejus suffusi fuerunt. *Dum unguntur aures*: Doleo propter te, de omnibus peccatis per auditum cõmissis: abluo aures meas in sangvine D. JESU manante ex auribus ejus, coronâ spineâ vulneratis. *Dum ungũtur manus*: Doleo de peccatis manuum mearũ, abluo illas in sangvine D. JESU, manante ex manibus ejus transfixis. Similiter *dum unguntur pedes.*

Vel

Vel certè offerat tunc SS. Trinitati singulos sensus innocentissimos D. JESU in passione cruciatos, pro peccatis suis, simulq; offerat singulorum sensuum suorũ, mortem, dum inunguntur. Deus meus, pro oculis meis contaminatis, offero tibi oculos D. JESU velatos, & lividos, simulque mortem oculorum meorum. Pro meis auribus vitiatis, offero aures D. JESU spinis vulneratas, simulq; mortem aurium mearũ. Pro naribus meis, offero nares D. JESU fætore cruciatas, simulque mortem narium mearum. Pro peccatis oris mei, offero os D. JESU felle & aceto imbutum, simulq; privationem hujus sensus mei per mortem. Pro manibus meis, manus JESU clavis transfixas, simulq; mortem manuũ mearum.

arum. Similiter pro pedibus meis, pedes Chriſti clavis perforatos, ac pedum meorum mortem.

9. Gratiæ agendæ ſunt Deo, pro hoc Sacramento, Domine ſis benedictus in æternum pro inſtitutione, & uſu hujus Sacramẽti. Effunde in animam meam oleum miſericordiæ tuæ, & fac me vi hujus ſacræ unctionis Luctatorem & Athletam robuſtum contra hoſtes animæ meæ.

Huc ſervit poſt ſuſcepta Sacramenta, quod dicitur Pſal. 22. uſurpariq; poteſt: Domine ſis benedictus, qui *paraſti menſam* Euchariſtiæ, *adverſus eos qui tribulant me. Impingvaſti in oleo* extremæ unctionis *caput*, immo & corpus *meum*; *& calix meus* ſangvinis tui, *quàm præclarus eſt. Et miſericordia tua ſubſequetur me,*

ne, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

CAPUT XI.

Mors, supellectili pietatis instructa.

HÆc supellex est, Imago Crucifixi, ac Deiparæ Virginis, Cereus benedictus, Aqua lustralis, Liber pius. Singulorũ usus quisnam sit in periculo mortis, videndum est.

§ 1. *De Imagine Crucifixi.*

Sæpius exhibenda est moribundo, ut eam devotè aspiciat, cordi apprimat, piis osculis veneretur. Interim autem in ejus intuitu ad varios affectus exhortandus est. Imo ad patientiam. *Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsũ contradictionem, & non defatigemur*

mur animis nostris deficientes. Heb. 12. Ergo in his morbi doloribus non defatigemur, nec per impatientiam deficiamus: cùm Filius Dei tanta pro nobis pati dignatus est. Domine JESU, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti animæ tuæ propter me; ecce ego ad omnes dolores propter te patiendos præsto sum. Statue de me, quid, quantum, quamdiu vis ut patiar. Si te Regem gloriæ *oportuit ita pati, & sic intrare in gloriam tuam.* Luc. 24. quid me non oportet pati servum inutilē & rebellem, ut intrem in gloriā Domini mei? Eja anima mea *eamus, patiamur, & moriamur cū illo.* Joan. 11. *Christo in carne passo, & nos eadem cogitatione* ad patiendum *armemur.* 1. Petr. 4. *Aspiciamus in authorem fidei, &*

consum-

consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ. Heb. 12; & nos ad exemplum Ducis nostri sustineamus libenter mortem, vitâ mortali contemptâ.

2do excitari potest ad spem. Quanta, in hac effigie habemus, Dei erga nos misericordiæ indicia? quales arrhas salutis? *Sic Deus dilexit nos, ut Filium suum Vnigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3. *Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eũ.* Rom. 8. *Filius dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* Eph. 5 *Venit in hunc mundum, ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus.* Joan. 10. Qui dedit nobis mortem suam, quomodo negabit

vitam ſuam? Ecce quid præſti-
tit, & quid promiſit nobis Deus
Plus fecit quàm promiſit, (Auguſt.
Quid fecit? mortuus eſt pro me
Quid promiſit? ut vivam cum il-
lo. Incredibiliùs autem eſt, quod
mortuus eſt æternus, quam ut in
æternum vivat mortalis. Quo-
modo ergo non ſperem in hac
tua, mi Deus, bonitate?

3tio ad amorem ſic excitari
poteſt. Ecce cor patens lancea
apertum. Vide & lege in eo ani-
ma mea amorem JESU erga te
hoc vulnere exaratum. Retinu-
itne ſibi vel guttam ſangvinis
quam in te non effuderit? O
mi JESU amore tui moriar, qui
amore mei dignatus es mori.

En caput ſpinis crudeliſsime
compunctum, ut nobis coronam
gloriæ mereretur. Ad oſculum

tui,

ui, ô anima mea inclinatum eſt: ccede reverenter, ut accipias oſculum pacis, & coronam vitæ ternæ, pro hac corona ſpinea.

En brachia extenta, ad te com lectendum portandumq́; in cœlum: projice te in illum cum omni fiducia, cui eſt cura de te tãta.

Vide oculos livore & ſangvine ſuffuſos: his Petrum benignè eſpexit, & ſolvit in lacrymas cõritionis; Utinam te quoq́; ita reſpiciat.

Vide pedes clavis perfoſſos: his nte oves ſuas bonus Paſtor vadit, ter monſtrãs ad vitam immortaem; ſequere veſtigia ejus per paientiam: ſicut ad hos pedes Magdalena veſtigia recta quærebat.

Alio modo poſſet æger excitari ad varios virtutum affectus, quaſi è cruce Chriſtum audiret

alloquentem se. Dicit ergo im
Christus crucifixus tibi: *Empt*
es à me pretio magno, quia sang
ne deificato. Jus supra te acqu
sivi hoc titulo emptionis: nu
quid non subjicis te totum hu
meo juri? an totum te mihi n
trades, qui totum me tradidi pr
te? Responde ergo & dic: (
Domine ego servus tuus. Totu
me, toto cordis affectu, tibi tr
do & dono in æternum.

2. Quod olim ex discipul
quærebat Christus, idem nun
quærit ex te: *Quem me esse dicu*
Matth. 16: me quem Prophet
prædixerunt *Deum in terris cum*
hominibus conversaturum. Bar. 3
Virum dolorum, propter scelu
populi percutiendum à Deo, vulne
randum & atterendum propter i
niquitates nostras Isa. 53. *Sanctu*

ctorum post hebdomadas 73 *à dificatione templi, occidendum.* n. 9. *illum Dominum exercitu- in cujus medio manuum plagæ uræ erant.* Zach. 12. An nō spondes firmà fide cum Petro: *u es Christus Filii Dei vivi?* vel n Centurione: *Verè Filius Dei est?*

3. Idem quærit ex te, quod o- n ex Petro: Creatura mea, *di- gis me plus omnibus.* Joan. 21. e qui dilexi te, & tradidi me- ipsum pro te. Me qui dilexi te, & lavi te à peccatis tuis in sangvi ne meo. An non respondes cũ eodem Petro? *Domine tu scis quia amo te:* toto me; vellem, toto te.

4. Quærit ex te, quod quæsi- vit ex Saulo. Act. 9. *Quid me persecutus es* peccatis tuis? Nun-

quid non ego sum Pater tuus, qui creavi, & redemi te? Cur ergo Deum qui creavit te dereliquisti, & oblitus es Redemptoris tui? Cur me, meamq; voluntatem conculcasti, & hunc sangvinem testamenti pollutum duxisti? An non doles super omnia? Dic ergo corde contrito: Peccavi Domine, miserere mei. O Deus utinam te nunquam offendissem.

5. Quærit ex te: *Quid ultra tibi facere debui, & non feci?* Responde, & dic: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem passionis & mortis hujus de manu Domini libens accipio, ut ad gustum ipsius moriar, qui pro me mori dignatus est.

6. Quærit: *Quæ utilitas in sangvine meo?* Quomodo tot grati-

is, hoc ſangvine effuſo, promeritis hactenus correſpondiſti? An non confundi meritò debes, & coram Deo tuo humili corde profiteri tuam ignaviam? Ergo nunc ſaltem hunc repende Christo fructum ejus paſsionis, ut ſanctè moriaris, Deumq; glorifices morte tua.

7. Dicit tibi Christus crucifixus, quod dixit Abrahæ Gen. 15. *Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Et Iſa. 46. *Ego feci te, ego feram, ego portabo, & ſalvabo.* Et Iſa. 49 *Nunquid oblviviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Et Mat. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Dic ergo ei: Domine ſub umbra alarum

tuarum ſperabo. Non aliam volo mercedem niſi te.

Alias ad Chriſtum Crucifixum devotiones vide infra Cap. 17.

§ 2. De Imagine B. Virginis & Sanctorum.

Pari modo exhibenda eſt moribundo Imago Deiparæ Virginis, & inter ejus venerationem ac pia oſcula, excitandus eſt ad affectus amoris ac fiduciæ erga Dei Matrem, proponendo varios ejus titulos, nempe dicēdo. 1. Hanc eſſe Matrem noſtram, quæ nos ſtans ſub cruce in doloribus genuit; ubi de quolibet electorum ei dictum eſt: *Ecce filius tuus*: ad illam proinde in morte recurrendum.

2. Eſſe Dominam, quæ non ſolùm in quemlibet habeat jus juriſdi-

jurisdictionis, sed etiam jus proprietatis, tanquam Dei Mater; curam proinde habiturā in morte servi sui, majorem quam habuerit curam Centurio sui servi.

3. Esse Heredem nostram, nos autem ejus esse hereditatem. Ergo hanc hereditatem ipsa in morte proteget, defendetque ab hostibus.

4. Esse Advocatam generis humani apud Deum potentissimam, & simul clementissimam. Ergo cum fiducia ei negotium mortis nostræ commendandum.

5. Esse post Christum Mediatricem inter Deum & homines: esse Asylum & Refugium peccatorum. Invocanda proinde est, ut nos Deo offenso reconcilier.

6. esse Consolatricem afflicto-

rum. In his ergo triſtitiis ſolatium ab illa exſpectandum.

7. eſſe Scalam paradiſi, & Januam cœli. Per ejus igitur merita de congruò, ac interceſsionē, patebit aditus ad cœlum.

8. eſſe Stellam maris: hac igitur duce iter monſtrante tutum perveniemus ad portum felicitatis.

9. Illa habet jus in ſangvinem Chriſti, in paſsione effuſum pro nobis: nam illum Chriſto dedit ut Mater: Ergo illum poteſt nobis applicare ad conſequendam remiſſionem peccatorum.

10. Illa habet jus in omnes gratias & dona Spiritus S; tanquam ejus ſponſa: Ergo poteſt nobis illa obtinere.

11. Iſtæ ſunt *manus*, quæ geſtabant Dei Filium: in eas ergo

ſecurè

ſecurè depono vitam meam & mortem.

Hi *oculi* flebiles videbant Filium Dei morientem: Utinam me quoq; benignè reſpiciant exſpirantem. Nec enim hæc amãtiſsima Mater dicit, quod de filio ſuo dixit Agar Gen. 21. *Non videbo morientem puerum.*

Iſtud *cor* Virgineũ in hora paſſionis Chriſti gladius doloris propter mea peccata pertranſivit. Utinam cor meum gladio doloris pro peccatis meis transfigatur, & vulnere charitatis divinæ.

Iſti *pedes* adſtabant fideliter Cruci Chriſti. Utinam perficiant pedes meos, ut ſtem ad crucem Domini conſtanter uſq; ad mortem. Utinam veniant nunc in adjutorium mihi.

Poſſunt etiam revocari in men

tem

tem dicta SS. Patrum de B. Virgine, quæ infirmi moveant affectū. Quale est illud S. Germani Patriarch. Constantinop. orat. de zona. *Nullus est qui salvus fiat, nisi per te ô Sanctissima. Nullus est qui liberetur à malis, nisi per te ô purissima. Nullus est cui donum concedatur, nisi per te ô castissima. Nullus est cui misereatur gratia, nisi per te ô honestissima.*

S. Anselm. de Excell. Virg. dicit: Intolerabile esset mori, & quis esset qui evaderet salvâ animâ? nisi & JESUS Patri vulnera, & MARIA Filio ubera monstraret: & hinc lac Matris, inde sangvis Filii apud Patrem, pro me, heu nimium prodigo filio, misericordiam extorquerent.

Damascen. in Ann. B. V. Devotum tibi esse ô Maria, est quædam

dam arrha salutis, quam Deus ijs dat, quos vult salvos fieri.

Bernar. ser. 2. de Ass. Omnibus debitricem se pia Virgo facit, omnibus misericordiæ sinum aperit, & de plenitudine ejus accipiunt universi. Ab ea captivus accipit redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam.

S. August. ser. 11. Per Mariam Deus descendit in terram, & per ipsam homines ascendere merentur in coelum.

S. Anselm. Orat. ad B.V. O felix Maria, sicut omnis à te aversus, & à te despectus, necesse est, ut intereat; ita omnis peccator ad te conversus, & à te respectus, impossibile est, ut pereat.

S. Petr. Damian. ser. de Nativ. B.V. Tu ô Deipara accedis ante il-

te illud aureum summæ recõciliationis altare, non rogãs, sed imperans, non ancilla, sed Domina.

S. Anselm. de excell. B. V. c. 6. Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quàm nomine D. Jesu unigeniti Filii Dei.

S. Bernardin. ser. 61. Nulla creatura aliquam à Deo obtinuit gratiam, nisi secundùm Matris ejus dispensationem.

S. Laurent. Iustin. ser. de Ann. Maria pro nobis effecta est paradisi scala, cœli janua, Dei ac hominum verissima mediatrix.

S. Bonav. in Apoc. c. 5. Abyssus est Maria in bonitate & misericordia profundissima; unde profundissimam misericordiam sui Filii pro nobis interpellans, abyssus abyssum invocat.

Bernardus ser. 7. Qui hab. Ad

omnem tribulationem & necessitatem aperta nobis, est urbs refugii, sinus Matris expansus.

Damasc. ser. 1. de Nativ. Virg. Quid negabitur Matri, cui negatum non est, Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? nihil illi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare.

Sed maximi solatii nobis esse debet, id quod ipsa de se dicit ex sensu Ecclesiæ, Virgo piissima. Prov. 8. *Beatus homo qui audit me*, cavendo peccata, *& qui vigilat ad fores meas quotidiè*, per cōstantem devotionem, *& observat ad postes ostii mei*, per imitationē mei. *Qui me invenerit* hoc modo, *inveniet vitam* gratiæ & gloriæ, *& hauriet salutem à Domino*. Ipsa enim est *quæ invenit gratiā apud Deum*, etiam pro nobis.

Devotionis ad B. V. praxes vide cap. 18.

§ 3. *De Cereo benedicto.*

Sicut prudentes Virgines cum lampadibus ardentibus exierunt obviam ſponſo, ideoq; in januã beatitudinis receptæ ſunt: ita in articulo mortis, cum vox intonuerit: *Ecce ſponſus venit, exite obviam ei*, æger ſumere debet, exẽplo B. Stanislai Koſtka, & aliorũ, Cereum accenſum, in proteſtationem ſuæ fidei, quâ à Deo illuminatus eſt, & in proteſtationem ſuæ in Deum charitatis, quâ ardere, & in Dei gloriam conſumi deſideret, adinſtar cerei ardentis. Dicat ergo: Domine qui voluiſti nos habere *lucernas ardentes in manibus, eſſeq́ ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum*.

Luc. 12, iſto cereo accenſo pro-
iteor me à te, qui lux es iluminãs
omnem hominem, eſſe verà fide
iſuminatum: pro qua tibi gratias
go: & proteſtor me cum hoc fi-
ei lumine tibi Domino meo oc-
urrere. Et ſicut hic cereus ar-
ens, igne conſumitur: ita ego
eſidero igne amoris tui ardere,
& conſumi ad gloriam tuam. Ne
ermittas Domine Deus meus,
it cum fatuis virginibus, lumen
hoc fidei, & ignis charitatis in cor
de meo extingvatur, atq; ita mi-
hi vitæ janua claudatur.

Lucerna fidei tuæ ſit lumen pedi
bus meis in hac via tenebroſa, quo
dirigente ad te ſecurè perveniam.

Domine da, ut lucernæ fidei
tuæ, lucenti in hoc caliginoſo lo-
co, attendam, donec lucifer ori-
atur in corde meo, nempe lumẽ
gloriæ. Da

Da Domine, ut hoc lumen fidei, quo me illuminasti, commutetur in lumen gloriæ æternum.

Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuũ in pace, quia viderunt oculi mei, lumine fidei illustrati, salutare tuum, lumen ad revelationem gentium. Tu es lucerna mea Deus meus: illumina tenebras meas, ne unquam obdormiam in morte.

Ex S. Augustino.

„ *Ad hoc lumen* ostende te mi-
„ hi consolator meus, videam
„ te lumen oculorum meorum,
„ videam te lætitia cordis mei.
„ Solil. 1. Illustra oculos meos
„ lux incomprehensibilis, fulgu-
„ ra coruscationē, & dissipa eos,
„ ne videant vanitatem. Tribue
„ visum lux invisibilis, qui te vi-
„ deat. Ibid. O lux

O lux invisibilis, cui omnis abyssus humani cordis est visibilis: ecce tenebræ sunt super faciem abyssi mentis meæ, tu es lumen, illumina me. Verbũ quod dixisti in principio, fiat lux, & facta est lux: dic etiam mihi, fiat lux, & facta sit lux, & videam lumen, & cognoscam quidquid non est lumen, quia sine te mihi tenebræ lumen, & lumen tenebræ ponuntur. Soliloq. 3.

Illuminare Domine lux mea, illuminatio mea, & salus mea. Illuminare lux huic cæco tuo, qui in tenebris & umbra mortis sedet, & dirige pedes ejus in viam pacis, per quam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad domum Dei. Solil. 4.

O lux

„ O lux à qua omnis lux, lumē
„ à quo omne lumen, lumen
„ ad quod lumen est tenebræ, ad
„ ad quod omnis lux obscuritas:
„ lux cui omnes tenebræ lumē,
„ cui omnis obscuritas lux: lux
„ suprema, quam cæcitas non ob
„ nubilat, quam caligo non he-
„ betat, quam tenebræ non ob-
„ scurant: Lux quæ illuminas
„ omnia tota simul, semel, &
„ semper, absorbe me in claritatis
„ abyssum, ut videam undiq; te
„ in te, & me in te, & cuncta
„ sub te. Ne derelinquas me,
„ nec accrescant umbræ ignoran
„ tiæ meæ, & ne multiplicentur
„ delicta mea. Sine te enim o-
„ mnia mihi sunt tenebræ, omnia
„ mala, quia nihil bonum sine te
„ vero solo summo bono. So-
„ lil. c. 13.

§ 4.

Usus aquæ benedictæ est in Ecclesia antiquissimus. Ejus meminit Clemens const. lib. 7. c. 43. August. lib. 50. Hom. 27. Cypr. ep. 70. Ambr. lib. de initiatis. Basil. lib. de Spir. S. c. 77. Præstat autem duos potissimùm effectus: nam imprimis fugat dæmones, ut colligitur ex orationibus Ecclesiæ, quibus benedicitur hæc aqua. Deinde tollit peccata venialia, accedente dolore de iisdē, ut docent Theologi.

Est ergo utile, ut moribundus aqua lustrali sæpius aspergatur, monitus, ut interim actum contritionis eliciat, dicaturque ex Psal. 50: *Asperges me Domine, & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor.* Item ad fugandos dæmones, dicatur ex Psal. 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici*

mici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus. Ita S. Gregorius apparens Monacho ſvaſit, ut totum Monaſterium, quod à dæmonibus infeſtabatur, aſpergeretur aquâ benedictâ, cantando Litanias de omnibus Sanctis: quo facto, dæmones fugati ſunt.

§ 5. De Reliquiis SS, & Cereæ agni imagine.

Etiem hæc præſidia magna eſſe ſolent in morte. Patet enim experientiâ, Deum per merita Sancti, cuius anima in hoc quod habemus oſſe, vel alia ejus reliquia, multa pro Dei honore & amore geſsit, aut toleravit, beneficia hominibus conferre. Credibile item eſt, Sanctos adeſſe ſolatio & auxilio iis, qui eos invocant, geſtando illorum reliquias. De ce-

rea

rea similiter Agni imagine, à Põtifice benedictâ, quantum prosit ad impediendos dæmones, ne noceant, refert exempla Dauroult in flor. exem. c. 3. Tit. 72. Sicut & de Reliquiarum SS. efficacia in morbis sanandis, & dæmonibus pellendis, refert exempla in eodem cap. 3. Tit. 53. & 54.

§ 6. *De Libro Ascetico.*

Perquam utile est, ut infirmo aliquid identidem breviter prælegatur ex aliquo libro pio, tum ad solatium ipsius, tum ad cor affectibus sanctis inflammãdum: dummodo id lentè fiat, & non multa simul prælegantur, sed lectio interrumpatur, & ex occasione lectionis suggerantur pii affectus. Hujusmodi libri esse possunt Soliloquia, (quæ ante mortem præ-

legi sibi curavit B. Aloysius,) & Meditationes S. Augustini. Pretiosæ occupationes morientium P. Nadasi S. I. De arte patiendi & compatiendi opusculum P. Georgii Mentzii S. I. Itinerariũ pro futura vita P. Vincentii Carafa.

Sed potissimùm in his eminet Sacra Scriptura, & Evangelium Christi. Censendum enim est, Spiritum S. qui dictavit Sacram Scripturam, ad ejus etiam præsentiam, multò magis ad ejus prælectionem, multas gratias audienti elargiri. Ac imprimis magnum moribundo solatium, roburq; ad fortiter tolerãdos morbi dolores, & mortem generosè perferendã, afferet, si Passio Redemptoris nostri eidem prælegatur, ita, ut per interstitia quiescendo, reflexiones

sanctæ

ſanctæ ſuggerantur, exemplo S. Franciſci de Paula, & S. Vincentii Ferrerii, quibus morientibus Chriſti paſsio prælecta, teſte Surio.

§ 7. *De ſigno Crucis, & Palma benedicta.*

Svadetur à multis, ut infirmus ſe frequenter ſigno S. Crucis ſignet, vel ab aliis ſignetur, præſertim in fronte, ad repellendas malas cogitationes, & in corde ad inordinatos affectus repellendos: Tum quia dæmones timent hoc ſacrum ſignum: Tum quia hoc ſigno proteſtamur fidem, & amorem Crucifixi. Ita S. Chryſoſt. ante obitum ſigno Crucis ſe munivit, & S. Severinus totum ſuũ corpus.

Svadet etiam P. Vincentius Carafa, geſtare manu palmam benedi-

nedictam, vel eam ad lectum habere; hoc enim modo practicè rogatur Deus, ut det victoriam de hostibus, & ut in cœlo annumeremur Sanctis, palmas habētibus in manibus. Refert etiam, Angelum Gabrielem B. Virgini ante obitum ramum palmæ præsentasse.

CAPUT XII.

Mors Indulgentiis ditata.

DE obitu Iusti meritò dixit Iob c. 5. *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici.* Tantis ille tum in sua infirmitate, tum in morte cumulatur meritis, gradibusq; gratiæ sanctificantis. Has autem divitias spirituales consequitur, tū ex actibus virtutum, tum ex usu Sacramentorum. Sed non minora lucra

lucra proveniunt ex theſauro meritorum Chriſti ac Sanctorum, relicto in Eccleſia, unde à Vicario Chriſti diſpenſantur indulgentiæ, ad minuendas, aut penitus tollendas pœnas temporales, vel in hac vita, vel in purgatorio, debitas peccatis. Has enim ut lucrentur tam tempore morbi, quàm in articulo mortis, viri pii omni ſtudio curant.

Porro hujusmodi indulgentiæ multæ collatæ ſunt tum Confraternitatibus ſeu Congregationibus, tum Religioſis ordinibus, ad recitationem quarundum precũ, vel ad prolationem nominis JESU & MARIÆ, cum vera contritione: vel ſunt applicatæ ſacris imaginibus, crucibus, numismatibus. Et ex his aliquæ ſunt quas ipſe moribundus ſibi applicare

potest: alias verò ipsi superior, Confessarius, vel quivis alius. Certiores magisq; nostras suggero.

1. Ad sonum æris campani recitantibus saltem vesperi, ter Angelicam salutationem cum versibus *Angelus Domini*, concessit Adrianus VI indulgentiam plenariam, ut refert Diana, & Gobat Tr. 4. p. 2. c. 30, & approbatam testatur Lezana à Paulo III, & Gregorio XIII, additâ supra versiculos oratione *Gratiam tuam. Et fidelium animæ &c.* Item Innocentius XII modernus recitãtibus manè, vel meridiè, aut vesperi easdẽ salutationes, concessit indulgentiam 100 dierum, si habeãt numismata ab eo benedicta.

2. Varias indulgentias ab Innocentio XII, aliisq; præcedentibus Pontificibus alligatas imagi-

ibus, coronis, crucibus, numiſma-ibus, exhibent formæ indulgentiarum ab iiſdem Pontificibus editæ, dummodo opera aſsignata præſtentur, & res quibus alligatæ ſunt indulgentiæ, propriæ habeantur, non ab alio commodatæ, juxta decretum Alexandri VII.

3. Sodales B. Virginis, qui ad Collegia Soc. JESU, nomen ſuum Congregationi dederunt, cõſequuntur plenariam indulgentiam, tum in admiſsione ſui ad Sodalitatem, ſi eo die Sacram Euchariſtiam, ubicunq; potuerint, ſumpſerint: tum in articulo mortis: tum vere pœnitentes & confeſsi, ac ſacra communione in noſtro templo vel alibi, refecti, in feſtis Nativitatis & Aſcenſionis Domini, ac Annuntiationis, Aſſumptionis, Conceptionis, & Nati-

Nativitatis B. Virginis. Præterea iidem toto anni tempore consequuntur omnes indulgentias stationum urbis, si eo die nostrum templum ubi id esset, alioquin aliam ecclesiam, aut capellam devotè visitaverint, ibiq; 7 Pater & Ave recitaverint. Quas indulgentias iis concessit Gregor: XII in Bulla *Omnipotentis Dei.* Eæ verò sunt tam amplæ, ut per annum possint Sodales consequi indulgẽtiam plenariam vicibus 360 & 16 animas è purgatorio liberare, ut censet Gobat c. 33.

4. Easdem stationum urbis indulgentias, sed tantùm in Quadragesima, & in Adventu, & in festis Christi, Deiparæ, & Apostolorum, concessit idem Gregorius XIII 25 Junii 1573, pro partibus Septemtrionalibus, non so-

lùm omnibus Collegiorum nostrorum studiosis, sed etiam omnibus qui in templis nostris Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentant, si prædictis diebus, in templo nostro 5 Pater & Ave in honorem vulnerum Christi recitaverint, pro Romana Ecclesia, & hæresum extirpatione. Iidem etiam in articulo mortis dicendo ter *IESVS*, aut percutiendo ter pectus, consequuntur indulgentiam plenariam. Item in festis Christi, Deiparæ, & primâ Dominicâ mensis, si post cōmunionem dicant Psalmum *Miserere* pro Papa, vel ter Pater & Ave,

5. Præterea, omnes fideles intuitu Regularium, Mendicantiū, (quales sunt Religiosi S. Augustini, S. Dominici, S. Francisci Assisina-

ſiſinatis, Carmelitæ, & S. Franciſci de Paula, & Societatis JESU) conſequuntur has indulgentias. 1. indulgentiam annorũ 15, dum audiunt concionantem aliquem ex his Religioſis, ut conceſsit Gregor. IX. Item dum viſitant horum Religioſorũ Eccleſiam Sabbatho, vel die Dominica, vel aliquo die in Quadrageſima, ibiq; orant, lucrantur indulgentiam annorum 40; in feſtis autẽ Chriſti & Deiparæ, annorũ 60. Porrò parentes talium Religioſorũ, in morte lucrantur indulgentiam plenariam, ut conceſsit Calliſtus III. Ita Caſarub: quem citat & ſequitur Gobat ibid. c. 28.

6. Præterea omnes ſideles has lucrantur indulgentias. Qui recitant tertiam partem roſarii, lucrantur indulgentiam annorum 5, qui

qui totum rosarium, lucrantur annorum 15 indulgentiam, ut cō-cessit Sixtus IV: si autem quis recitet tertiam partem rosarii in festo Resurrectionis Domini, vel in festo Annuntiationis, aut Assumptionis B. V, lucratur indulgentiam annorum 100, ut concessit Pius V. Ita Navar. & cum eo Gobat. c. 30. Qui reverenter nominat JESU aut MARIÆ nomina, consequitur indulgentiam dierum 25; & qui habet hanc consvetudinem, in articulo mortis consequitur indulgentiam plenariam, hæc eadem nomina ore, vel si non potest, corde proferēs. Qui recitat Litanias de nomine JESU, consequitur indulgentiam dierum 300: qui de B. Virgine Litanias Lauretanas, consequitur dierum 200. Hæc omnia con-

ceſsit Sixtus V, teſte Rodriquez apud Gobat ibidem.

7. De indulgentiis quæ Religioſis variis conceſſæ erant directè & principaliter, ſciendum eſt, eas revocatas eſſe à Paulo V, idque declaravit etiam Alexander VII. Non tamen revocatæ ſunt illæ indulgentiæ, quæ conceſſæ erant Religioſis promiſcuè cum ſæcularibus, nec illæ, quæ erant conceſſæ Eccleſiis Regularium, nec illæ quæ conceſſæ erant in articulo mortis, vel in purgatorio exiſtentibus. Ita cum aliis Gobat ibid. c. 27. Cæterùm ipſe Paulus V, in locū ſublatarum indulgentiarum has conceſsit Religioſis. Nempe indulgentiam plenariam in ingreſſu, & in profeſſione confeſsis & cōmunicantibus. Item in feſtis principali-

bus

bus ordinis communicantibus, & orantibus pro concordia Principum, pro extirpatione hæreſum, pro exaltatione Eccleſiæ, & pro Papa. Item celebrantibus primã miſſam, vel qui huic miſſæ interſunt, & confeſsi communicant. Item in articulo mortis. Denique conceſsit iis, qui in Clauſtris habitant, nempe ordinariè, ut viſitando ſuam Eccleſiam, & orando pro concordia Principum, pro extirpatione hæreſum, pro exaltatione Eccleſiæ, & pro ſalute Papæ, (ad quam intentionem, ait Gobat, ſatis eſt recitare 5 Pater & Ave,) ſingulis diebus conſequantur indulgentias ſtationum, quæ eo die ſunt Romæ in aliquo templo: ſunt autem ſingulis diebus ampliſsimæ. Ita Gobat Tr. 4. p. 2. c. 28. qui putat has indulgẽtias

poſſe

posse obtineri ab his, qui per accidens extra claustrum vivunt, si visiteut oratorium sui ordinis, v. g. in pago. Plura de Indulgētiis videri possunt apud eundem Authorem.

CAPUT XIII.

Mors præsidiis contra varias tentationes armata.

IN mortis articulo potissimùm illud verificatur, quod dicitur Apoc: 12: *Descendit diabolus ad nos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*: unde tunc maximâ rabie nos invadere solet variis suggestionibus, ut Christo, animam ejus sangvine redemptam, eripiat, trahatq; secum ad infernum. Quamobrē habenda sunt contra ejus tentati-

ones remedia in promptu, & infirmo opportunè ſuggerenda.

§ 1. *Remedia contra dubia in fide.*

1. Nullo modo ſolvenda ſunt hæc dubia, cùm occurrunt, nec diſputandum cum dæmone, qui cùm ſit vaferrimus, & longè majori ingenio polleat, facilè ſuis fallaciis implicabit ſecnm diſputantem in rebus obſcuris. Remittendus eſt igitur dæmon, dubia hæc oggerens, ad Ecclenam, quæ eſt columna veritatis, ut ſi velit, cum illa diſputet. Imò ncc eſt orandus tunc Deus, ut te illuminet ad diſcernendos veros fidei articulos; hoc enim eſſet dubitare de fide: ſed nihil prorſus dæmoni reſpondendnm, aureſq; occludendæ tnlibus dubiis,

solùm dicendo: Credo quidquid credit Sancta Ecclesia, in qua tot millia Martyrum hanc fidem suo sangvine confirmarunt, & innumeri viri Sanctissimi, ac Doctores sapientissimi, totius orbis cõsensu eam tenuerunt, & tenent. Hanc fidem usq; ad extremum spiritum tenebo, & profitebor.

2. Confundat se de sua arrogantia, qui hæc dubia patitur, dicatque: Quis ego sum, qui meo judicio corrigere velim consensum toi sapientissimorum Doctorum, tot sanctissimorum virorũ, totiusq; orbis, fidem hanc firmissimè profitentis? An Dei omnipotentia plus facere non potest, quam ego meo vili intellectu possum cõprehendere? Quam multa ignoro! v. g. compositionem continui. Quam sæpè erravi circa fa-

ca faciliora objecta! Ergo ſtare volo judicio Eccleſiæ in credendis Divinis arcanis, myſteriiſque obſcuris. Quo enim non pertingit meus intellectus, eò pertingit doctrina Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, totq; aliorum *qui deſcendunt in mare* myſteriorum Dei *in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia in profundo.* Pſal. 126.

3. Recurrat ad illa charisſima vincula, quibus ſe dicebat teneri in Eccleſia Catholica Magnus Doctor Auguſtinus, ſcribens contra Epiſt: fundam: dicatq; cum illo: *Tenet me in fide Catholica conſenſus populorum atq; gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri,*

cui

cui pascendas suas oves Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopum Innocentium XII *successio Sacerdotum. Hæc sunt mea charissima vincula.*

4. Considerandum, quod ea sit perfectio veracitatis Divinæ, ut Deus non potuerit in confirmationem falsæ doctrinæ facere vel permittere tot miracula, tot prophetiarum impletionem, tot martyria, tantum virorum sanctissimorum, ac sapientissimorū, totiusq; orbis, per 1. sæcula, consensum: quæ omnia sunt quædā sigilla Dei loquentis: alioquin Deus nos seduceret & mentiretur: sicut mentiretur Rex, si sciens, obsignaret suo sigillo falsam scripturam. Cùm ergo Deus hæc omnia fecerit, vel fieri permiserit in confirmationem do-

ctrinæ

ctrinæ, quam profitetur Romana Ecclesia, & Deus nos seducere, & mentiri non possit, oportet hanc doctrinam esse veram. Alioquin possemus dicere Deo cum Richardo lib. 1. de Trin. c. 2. *Domine si error est, quem credimus, à te decepti sumus: ea enim in nobis, tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi à te fieri possunt.*

5. Reflexione facta supra omnes sectas cōtrarias, Judaicam, Mahometanam, Arianam, Lutheranam, Calvinianam &c, &c. manifestum est, quod in nulla ex his, sint tot tantaq; signa locutionis Divinæ, & credibilitatis dogmatū fidei, quanta sunt in nostra Ecclesia. *Habemus enim tantam impositam nubem testium*, ut dicitur Hebr: 12, nempe tot Pro-

phetas

phetas, tot Martyres, (qui nisi ex dono fortitudinis Spiritus S, non vicissent pro fide nostra tanta supplicia:) habemus tot Doctores, tot sanctos Viros, qui nulli sunt extra Romanam Ecclesiam. Ergo hæc sola vera est Ecclesia Dei; quia ad Providentiam Dei, quæ non deest in necessariis, spectabat, suam Ecclesiam, tanquam mediū ad salutem unice requisitum, majoribus signis facere conspicuam omnibus, & discernibilem ab omnibus falsis sectis. Unde possumus gloriari, dicendo: *non est alia natio seu secta, tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Deut. 4. Et Psal. 147. *Non fecit Deus taliter omni nationi, sicut fecit* Ecclesiæ Romanæ, *& judicia sua non manifestavit eis.*

6. Opor-

6. Oportet in tali perturbatione, non examinare dubia, ſed referre ſe ad illa pacata tempora, in quibus credidi & agnovi fidẽ noſtram eſſe veram, dicereq́ue: *Scio cui credidi.*

7. Ultimum remediũ eſt, in tanto periculo Divinam opem lacrymoſis & miſerabilibus vocibus implorare dicendo: D*omine ſalva me, pereo. Domine vim patior, reſponde pro me,* nam ego reſpondere non valeo. *Domine adauge mihi fidem.* Luc. 17. *Adjuva incredulitatem meã.* Mar. 9. *Illumina oculos meos, ne quando obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus, prævalui adverſus eum.* Pſal. 12. Domine da mihi fidem, quâ *qui credunt in nomine tuo, dediſti eis poteſtatem filios Dei fieri.* Joan: 1. Da fidem, quâ *qui*

credi-

credit in te, non morietur in æternum Joan. 11. Da fidem, *quâ qui credit in te, non peribit, sed habebit vitam æternam.* Joan. 5.

Actus fidei habentur infra cap. 16.

§ 2. *Contra Desperationem remedia.*

1. Vel conſcius es peccati mortalis nondum per confeſsionem expiati? Vel non es conſcius? Si es conſcius? recurre ad Sacramentum confeſsionis, in *quo ſanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*, ut dicitur 1 Joan. 1. Aut ſi ademptâ loquelâ, vel ob defectum Confeſſarii, non potes confiteri, elice actum contritionis, ſuper omnia dolendo de peccatis, ex amore Divinæ bonitatis. Et hoc modo remittetur tibi peccatum, quia fidelis Deus eſt, qui id pro-

promisit, ut habetur 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et per Prophetā Ezechielem pollicetur: *Nolo mortem morientium, dicit Dominus, revertimini & vivite.* Et 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. -- Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Item per Isaiam cap. 30. juxta 70, *Quacunq; hora ingemuerit peccator, salvus erit.* Si autē nullius peccati gravis conscius es; hoc ipsum habere debes magnam spem salutis: tum quia quamvis in anima tua lateret peccatum, quod nondum plenè confessus sis; tamen confitendo alia peccata, jam

ta, jam es absolutus indirectè à tali peccato, tibi occulto, ut docent omnes Theologi; cùm Deus nequeat remittere unum peccatum mortale sine alio: & quamdiu latet te hoc peccatum, non est obligatio illud confitendi; siquidem materia confessionis sunt peccata, prout sunt in conscientia pœnitentis, ut definit Concilium Tridentinum. Tum quia, cum tu facias quod potes, confitendo omnia peccata quorum recorda-ris, Deus etiam tibi non negat suam gratiam; juxta illud principium Theologicū: facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

6. At dices: Peccata mea sunt multa & gravissima. Respondet ad id Basilius in reg. brev. qu. 13. *Si peccata magnitudine & numero*

possunt

possunt definiri, miserationes autē Dei neq; magnitudine, neq; numero possunt circumscribi, sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda. Et Chrysost. in proœmiò super Isaiam: *Et si quis innumeris peccatis sauciatus sit, si eorum pœniteat, & bonum agat, ita Deus omnia abolet, ut nullum eorum vestigium appareat.* Non est ergo dicendum cum Caimo: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear:* Nam bonitas Dei est in omni genere infinita: malitia autem nostra peccatorum etiam numero infinitorum, aut est simpliciter finita, aut ad summum in inferiori ordine infinita est. Hæc autem bonitas Divina vult quantum est ex se efficaciter te salva-

re: Quia ut dicit Apostolus 1. Timoth. 2. *Vult omnes salvos fieri.* Et sane, *si Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joan. 3. *Si Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum illo donabit?* Rom. 8. Certè donabit etiam nobis vitam æternam; quia hoc est minus donum, quàm existentia Christi: qui ergo dedit hoc plus, dabit & minus. Præterea, cum tibi eadem Dei bonitas dederit tot media & tam efficacia ad salutem, qualia sunt, vocatio ad fidem, & fortè etiam ad statū religiosum, usus Sacramentorum frequens, & præsertim corporis Christi, quod est pignus futuræ gloriæ,

loriæ, tot illustrationes & inspi-
ationes, & nunc etiam ad bo-
am mortem dat præparationis
empus; signum est quod velit ef-
caciter te salvare. Ergo sentien-
um est in bonitate, de tam bono
Domino, *qui si curam de te ha-
uit antequam esses, quomodo cu-
am de te non habebit cum jam es?*
icit August: atq; ita *projice omnẽ
olicitudinem tuam in eum*, & se-
peli te in abysso misericordiæ e-
us, *quoniam ipsi cura est de nobis.*
. Petr. 5.

3. Aspice Redemptorem tuũ
cruci affixum, *qui dilexit te, & tra
didit semetipsum pro te oblationẽ
& hostiam Deo in odorem suavita-
is.* Eph. 5. *Hic non venit vocare
ustos sed peccatores*, adeoq; vult
eos salvare. *Hic est Agnus, qui tol
it peccatum mundi.* Joan. 1. *Hic*

eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 1. Joan. 1. Hic eſt Paſtor ovem perditam quærens, ſuiſq; humeris reportans, Luc. 15. Hic eſt Pater filium prodigum benignè recipiens. Ibid. Hic eſt Rex ſervo debitori roganti dimittens decem millia talenta. Idem tibi præſtare vult. Merita ejus & ſatisfactiones ſunt valoris ſimpliciter infiniti, quia dignificantur Perſonâ Divina Verbi: adeoq; ſuperant omnem malitiam peccatorum totius mundi etiam poſsibilium. Has ſatisfactiones & merita tibi reliquit, ut ea tibi appropries, Patrique pro tuis peccatis offeras. Atq; ita dicit tibi per ſervum ſuum Auguſtinum: *Accipe me, & redde pro te.* Ergo, *quidquid tibi deeſt, uſurpa ex vulneribus Chriſti:* & ex his theſauris accipe, Pa-

triq; æterno offer cum omni fiducia, merita & satisfactiones infinitas Filii ejus unicè dilecti; & certò tibi persvade, quod una gutta sangvinis Christi posita in bilance divinæ justitiæ, præponderabit tuis infinitis peccatis, si hæc in altera parte ponantur. Audi Augustinum dicentem ser. 74. ad fr. in Erem: *Noli dicere, in cœlo non ero: Tenemus mortem Christi, tenemus sangvinem Christi; si quod plus est tenemus, quod minus speremus. Qui pro nobis dedit mortem suam, non daturus est vitam suam? Qui pro nobis pertulit mala, non is daturus est quæ possidet bona?*

4. Revocanda sunt in memoriam exempla eorum, qui ex gravissimis peccatis per pœnitentiam emerserunt, & ad salutem

æternam pervenerũt, quales ſunt, David adulter & homicida, Magdalena peccatrix, Matthæus, & Zachæus injuſti, Petrus Chriſti abnegator, Thomas incredulus, Latro in cruce, Paulus Eccleſiæ perſecutor, Theophilũs qui ſe dæmoni devoverat, & alii innumeri. Idem mihi quoq; ſperandũ, quia non eſt minor nunc Dei miſericordia, quam antea fuerit.

5. Aliquos infeſtant timores, quod fortè non ſint prædeſtinati. Contra hunc timorem eſt remedium ex doctrina Auguſtini: *Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris*, id eſt, fac actus amoris Dei, contritionis, cave peccata, ſi cadis, reſurge; & hoc modo uſq; ad extremum vivendo, efficies, ut ſis in numero prædeſtinatorum. Nam Deus te prædeſti-

navit dependenter à fuga peccatorum, & dependenter à prædictis actibus virtutum: sicut voluit te Deus ex infirmitate sanare dependenter à sumptione medicinæ: sicut ergo cùm infirmus es, non negligis medicinam ex timore, quod te Deus fortè in hoc morbo velit mori; ita etiam non negligas actus virtutum ex hoc timore, quod fortè te Deus reprobavit. Deinde, si te hic timor infestat, dic: Prædestinatio mea est occultissima, & soli Deo nota: hoc scio, quod Deus mihi in suo judicio non faciet injuriam, cum sit justissimus. Ipsius ergo justissimæ voluntati me subjicio. Quodsi justo ejus judicio damnandus sum: nunc quamdiu vivo, volo eum laudare, & amare; siquidem illum in inferno nõ amarem.

6. Optimum etiam in his tentationibus remedium est recursus ad B. Virginem. Illa enim est Mater sanctæ spei, Mater misericordiæ, Mater salutis. Ita monet Bernar. ser. 2. super missus est: *Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras.* Quod ipsum probari potest pluribus exemplis.

§ 3. *Remedia contra Præsumptionem, seu vanam gloriã.*

Solet Dœmon hac etiam infestare homines tentatione, ut nimiam

miam habeant de meritis suis fiduciam, vel de suis operibus complacentiam. Ad hæc tela retundenda Remedium est 1. Considerare, opera nostra bona si quæ sunt, esse imprimis plurimis titulis Deo debita: unde dicendum: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Luc. 19. Deinde hæc opera bona, esse dona Dei, qui ad ea non solùm nobis sufficientiam & vires gratiæ dedit, sed etiam ipse in nobis tanquam causa principalis, quamvis nobiscum, ea operatus sit, ac proinde dicendum est *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Isa. 26: atq; ita *in nullo gloriandum, quando totum est Dei,* ut ait Cyprianus. Præterea, in his bonis actionibus nostris advertendum est, misceri plures imperfectiones nostras, tū

ex defectu intentionis, tum ex defectu applicationis, tum ex aliis circũstantiis. Unde dicebat Job. 9. *Verebar omnia opera mea. Cùm etiam habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Et Isa: 64 dicitur: *Ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Et August. lib. 9. confes. *Væ vitæ etiam laudabili, si sine misericordia discutiatur à Deo.*

2. Potius peccata nostra sint contra nos semper, & præ oculis semper habeãtur; quæ certum est quod cõmiserimus, est autem incertum, an ea sufficienti pœnitẽtia seu justificativâ, expiaverimus: unde enim habeo certitudinem, qnod in mea pœnitentia aliquis defectus non contigerit vel ex

parte

parte doloris mei supernaturalis, vel ex parte jurisdictionis in absolvente, vel ex parte intentionis. Quare dicendum cum Apostolo: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui enim judicat me, Dominus est.* 1. Cor. 4.

3. Consideranda veritas Catholica definita in Tridentino, sine speciali Dei revelatione nemini constare, an sit in statu gratiæ Divinæ, juxta illud Eccles. 9: *Nescit homo an odio an amore dignus sit.* Item illud quoq; considerandum, quod *magnum illud donum perseverantiæ* finalis, nullus homo possit sibi mereri de condigno, ut docet idem Concilium: & tamen solus, *qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit.* Mat. 10. Itaq;, monet Apostolus omnes Phil. 2: *Charissimi cum*

metu, & tremore vestram salutem operamini. Et Prov. 23: *In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo:* quasi carēs hoc timore, spem in morte non debeat habere de sua salute.

4. Considerandum est, hanc de bonis operibus propriis complacentiam esse gravissimum peccatum, Deo valdè exosum. Unde dicit Job cap. 31: *Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Quæ verba ita exponit Gregor. 22. mor. 10. *Ego mea opera tanquam mea non profero, quia auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit, quod operatur.* Nec desunt exempla plurium, qui cum sanctè vixissent, ob hanc tamen superbiam in morte admissam, miserè perierunt.

4. *Remedia contra odium inimici.*

Eſt nonnunquam difficultas in hoc, ut infirmus condonet ſuas offenſas inimicis. Ad id excitari poteſt.

1. Quia ſine hac ſincera condonatione, non modo non poteſt ſuſcipere ſacramenta, & præſertim Sacram Euchariſtiam, quæ eſt Sacramentum unionis, dicente Domino Mat. 5: *Relinque munus tuum ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo*: ſed etiam non poteſt dicere orationẽ Dominicam; quia vel falsò diceret: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: vel contra ſe oraret, poſtulando, ut Deus ita illi non dimittat peccata, ſicut ipſe non dimittit

mittit offensam suam. Quare monet August. ser. 5. de S. Steph. *O quicunq; ille es attendis quid tibi fecerit homo, & non consideras, quid tu feceris Deo. Cùm enim tu multum graviora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, ut tibi dignetur Deus remittere multum? Recole quid tibi in Evangelio veritas ipsa promiserit, & quam tibi quodammodo cautionem fecerit: si enim inquit Mat. 6, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra: si autem non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis debita vestra. Videtis fratres, quia cum Dei gratia in potestate nostra positum est, qualiter à Domino judicemur.* Patetq; id exemplo servi debentis decem millia talen-

ta, cui cùm Dominus hoc debitum condonasset, ille autem nollet suo conservo condonare centum denarios, traditus est tortoribus, donec redderet universum debitum, usq; ad novissimū quadrantem. Quam parabolam sic concludit Christus: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus vestris.* Mat. 18.

2. Considerandum, quam graviter Deo displiceat odium proximi. Nam 1. Joan. 2. dicitur: *Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat.* Quod maximè nocet, ingredienti viam æternitatis. Et: *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Addit Basil. de instit. monach: *si, ut Joannes ait,*

Deus charitas est, sine dubio necesse est diabolum odium esse. Ut igitur qui caritatem habet, is Deū habet; sic qui odium habet, diabolum in se nutrit.

3. E contra videndum, quàm sit gratus Deo actus heroicus diligendi inimicos. Nam Deus Davidi propter ejus mansvetudinem, quâ pepercit Sauli inimico, dedit ex ejus sangvine Messiam, ut colligitur ex Psal. 131: ubi cùm ille orasset: *Memento Domine David, & omnis mansvetudinis ejus,* Deus ipsi respondet: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, id est Christum. De eadem virtute dicit Christus Marc. 12: *Diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis.* Eadē dilectio inimicorum facit nos filios Dei,

os Dei, consequenter heredes, ut dicitur Matth. 5: *Diligite inimicos vestros - - ut sitis filii Patris vestri.* Huc spectat Exemplum S. Joannis Gvalberti, qui cùm die Parasceves ob amorem Crucifixi, inimico injuriam condonasset, eodem die Christus illum è cruce pendens amplexus est. Sic & S. Stephanus Act. 7 orans pro inimicis, cùm ab eis lapidaretur: *Vidit cœlos apertos, & JESVM stantem à dextris virtutis Dei*, paratum videlicet ad amplexum Stephani, ob hanc virtutem, quâ ipse tanquam clavi cœlum sibi aperuit.

4. Ut excitemus in nobis amorem inimici, consideremus in eo imaginem SSS. Trinitatis; itẽ quod sit sangvine JESU Christi tinctus, quod ad eandem domum

Ecclesiæ Christi vocatus, quod ejusdem mensæ Corporis & sangvinis Christi particeps, quod ad eandem beatitudinem supernaturalē creatus. An non sunt hæc motiva efficacia ad diligendum proximum, etiam inimicum?

Notandum autem est, hoc modo obligari quemlibet ad diligendum inimicum: imprimis ut in animo odium non habeat, non optando illi malum, sed potius optando bonum, sicut sibi ipsi: deinde ut velit efficaciter ostendere illi externa signa benevolentiæ saltem communia, si & quando se offerret occasio: esto possit jure, vel alio modo licito, satisfactionem pro injuria sive reali, sive personali ab inimico exigere: hoc enim justum est.

§ 5. *Remedia contra* Impatien-*tiam in morbo.*

1. Persvasum sibi habeat infirmus, tum morbos, tum incommoda quæ in illis proveniunt, sive ex negligentia, sive errore medicorum, aut ministrantium, provenire ex paterna Dei providentia, quæ in omni circa nos sua dispositione, unicè intendit bonũ gloriæ suæ, & bonum salutis aut perfectionis nostræ. *Non enim est malum quod non fecerit Dominus.* Am. 3. Quare dolores morbi omniaq; incommoda suscipiat de paterna Dei manu, amplectatur & osculetur tanquam prædestinationis suæ argumentnm & effectũ: tanquam munera Divinæ Providentiæ, & arrhas amoris Dei: tanquam guttas ex amaro caliee passionis

ſionis Chriſti ſibi propinatas: tanquam particulas ſanctæ crucis, contactu Chriſti ſanctificatas: tanquã ſacra vulnerum Chriſti ſtigmata, ſuo corpori communicata: quas pias conſiderationes latiùs proponit P. Georg. Mentzius lib. 1. de Arte patien. cap. 5. Simul autẽ humillimè ſubijciat & reſignet ſe Divinæ voluntati omnipotentiſsimæ, ſapientiſsimæ, benevolentiſsimæ; ſæpè repetendo verba Salvatoris, ſuſcipientis de manu Patris calicem ſuæ paſsionis: *Pater non mea, ſed tua voluntas fiat;* quæ verba in graviſsimis ſuis febrium, ulcerum, podagræ, chiragræ morbis, ſimul infeſtantibus, crebrò repetebat Philippus II Rex Hiſpaniæ. Vel certè dicat cum P. Franciſco Momfroy S. I. inter dolores calculi ingeminãte: *Domine* Je*ſu*
quid-

quidquid vis, quantum vis, quamdiu vis, quomodo vis, ego volo, quia tu vis. Aut dicat cum Jobo ulceribus pleno, & in ſterquilinio ſaniem radente: cap. 2: *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus?*

2. Conſiderandi fructus ſpirituales, qui ex morbis proveniunt; unde S. Ignatius meritò dixit, infirmitatem non eſſe minùs bonũ, quam ſanitatem. Nam in morbis 1. acquiritur major notitia ſui, & Dei. 2. præſervatur homo à peccatis. Forte enim in diſcrimen depravationis & damnationis venires, ſi ſanus eſſes. 3. morbi ſi patienter tolerentur, augent gratiam & meritum, ac proinde gratiorem te Deo reddunt. 4. faciunt nos conformes imaginis Filii Dei, qui *fuit vir dolorũ,*

ſciens

sciens infirmitatem, & à planta pedis, usq; ad verticem capitis non erat in eo sanitas, ut dicit Isaias c. 53. 5. supplent voluntariam satisfactionem pro peccatis. Ob hæc igitur æger debet Deum benedicere, eiq; gratias agere, exemplo P. Leonardi Lessii S. I. viri doctrinâ & sanctitate celebris, qui in acutissimis tibiarum exesarum, intestinorum, stomachiq; torminum, calculorum etiam, per 4 ultimos vitæ annos, doloribus, sæpè dicebat: *Benedictus Deus in æternum. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum.* Quod idem fa-

ciebat

iebat Job, dicens: *Dominus de-*
it, Dominus abstulit. Sicut Do-
nino placuit, ita factum est, sit
omen Domini benedictum. Et B.
Clara, quæ continuis 28 annis
norbo intabescens, assiduè inge-
ninabat: *Deo gratias.* Sicut &
P. Petrus Canisius S. I, cujus in
norbo hæ voces erant familiares:
Laus Deo. Benedictus Deus; Gra-
ias Deo. Vide si placet plura
xempla apud citatum P. Ment-
zium, præsertim c. 12.

3. Cogitet infirmus, se pro
peccatis suis majora promeritum
sse tormenta in inferno, vel in
purgatorio, dicendo cum S. Fran
cisco Borgia: *Infernus domus*
mea est: vel certè cogitet se e-
luctum ex inferno ad agendam
pœnitentiam in hac vita. Ergo
d evitandas vel minuendas alte-

rius

rius vitæ pœnas, offerat Deo morbi sui dolores, petendo cum S. Augustino: *Domine hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.*

4. *Aspiciat in authorem & consummatorem fidei IESVM* passũ, & crucifixum, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, & acerbissimos in toto corpore ac in anima cruciatus, Heb. 12, audiatque illum dicentem Thr. 1: *O vos omnes, qui transitis per viam* hujus vitæ, *attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Spectans autem in cruce Dominum suum, comparet sua tædia & tristitias cum ejus tristitia usq; ad mortem: comparet cum duritie sui lecti ejus crucem: suos capitis dolores, cum spinis ipsius: suam sitim cum siti ejus ardentissima; suos podagræ aut chiragræ dolores

es, cum pedibus ejus, manibusque transfixis. Ex altera parte onsideret, quam patienter sine uerelis, quàm hilariter, quàm onganimiter, hæc omnia patiaur Dominus majestatis. Ergo *ecogitando eum*, qui amore noıri *talia sustinuit, non fatigemur í doloribus, animis nostris deficiẽes; nondum enim usq; ad sangvi-em restitimus.* Heb. 12. Sed poius *Christo in carne passo, & nos adem cogitatione armemur* ad paiendum, ejus amore, ut monet . Petrus 1. cap. 4. *Si enim comatimur, & conglorificabimur.* Ronan: 8. Ac proinde stillam hanc ıostræ amaritudinis submergenlo in mari amaritudinum Chriti patientis, *communicantes Chri-ti passionibus gaudeamus, ut & in evelatione gloriæ ejus gaudeamus*

exul

exultantes 1. Petr. 4: dicamusque cum S. Bernardo: *Non licet sub spinoso capite membrum esse delicatum*: vel cum S. Bonaventura: *Nolo Domine sine vulnere vivere, dum te video vulneratum.*

5. Voluistine aliquando esse martyr pro fide Christi? si non habuisti hoc desiderium, saltem deberes acceptare martyrium pro fide, si Deus vellet. En ergo Deus vult, ut pro amore ejus nunc subeas hoc martyrium charitatis. Si voluisti? Cur recusas? Quam hæc tormenta minora sunt cruciatibus Martyrum? Cogita craticulam & incendia Laurentii; ferreos ungves candentesq; laminas Vincentii: prunas ardentes Tiburtii; picem & resinam ferventem, sulphur, plumbumq; liquefactum, quo fuit perfusus Erasmus. Cogita

gita equuleos, rotas, gladios tot
lliorum. Quam minora sunt quæ
pateris comparatione illorum?
Vide infra Actus patientiæ cap. 16
§ 9, & Actus conformitatis § 8.

§ 6. *Remedia contra amorem longioris vitæ.*

1. Cogitandum, quod nobis Deus destinaverit terminum vitæ, tunc, quando nobis vidit expedire, ut moriamur. Velle igitur hunc terminum prorogare, periculosum est. Quis enim scit, an prolongatâ ulterius vitâ, salus animæ tuæ, non exponetur multis periculis peccandi? Quis scit, an postea mors tibi contingeret tam benè disposito, & extremis sacramentis munito, sicut jam dispositus es?

2. Quamvis nunc evadas mor-

tem, nunquid illa brevi iterum non est oppetenda? nunquid nõ easdem, imò fortè majores molestias, dolores, ac timorem sui afferet? Quid ergo superatis jam molestiis, alias iterum optas recurrere, fortè etiam graviores?

3. Si desideratur amplius spatium pœnitentiæ? fortè per longiorem vitam potius accrescerēt majora merita pœnitentiæ, quàm pœnitentia. Si modo timetur purgatorium, fortè postea plures stipulæ congregabuntur, igne majori purgatorii exurendæ. Submittamus igitur nos Divino decreto, non tantum quoad substātiam mortis, sed etiam quoad circumstantiam temporis providentissimo.

Vide ea quæ supra habentur cap. 2. contra timorem mortis.

§ 7.

§ 7. Remedia contra finalem Impœnitentiam.

1. Intelligere curet Confessarius, unde hæc obstinatio, quæ est omnium gravissima tentatio, infirmi procedat. Si enim ex hæsitatione in fide, utendum est remediis supra datis, contra dubitationem in fide § 1. Si ex desperatione, utendum est remediis contra eam datis § 2. Si ex eo quod infirmus horreat difficultatem confessionis, ob pudorem, vel ob aliam rationem: exponendum est illi, quod dicit Spiritus S. Eccl: 4: *Fili pro anima tua non confundaris dicere verum, est enim confusio hæc adducens gratiam & gloriam.* Vide, quid expediat, an ut coram uno homine tibi simili, aperias tua peccata, sub strictissi-

mo sigillo, sicque illa sangvine Christi deleas; an verò ut ea in die judicii, nOn expiata, toti mū-do revelentur ad tuam maximam confusionem. Sequere potiùs exempla Magdalenæ, Augustini, Marcellini, Martiniani, publicè profitentium sua peccata, unde gloriam sibi apud Deum & homines compararunt immortalem. Si timeat infirmus difficultatem, & quasi impossibilitatem exprimendi tot peccata, quoad numerum, & speciem, ob eorum multitudinem: sciat à Deo impossibilia non requiri. Dicat peccata prout sunt in conscientia sua, & morali adhibitâ diligentia, explicet quantum potest speciem peccatorum, & numerum: v. g. si aliter non potest, quoties in annum, vel in mensem, aut in heb-

doma-

omadam, plus, minusve, ordi-
ariè contingebant; & hoc suffi-
iet ad justificationem. Offerat
tiam illi suam Confessarius ope-
am, quâ illum facili methodo,
er interrogationes juvare possit.

2. Exponendum est, quod Im-
œnitentia finalis, est omnium
tavissimum peccatum, quod di-
itur contra Spiritum S, hoc est
ontra Dei bonitatem, quæ Spi-
itui S. attribuitur, prout com-
nuniter docent SS. Patres; adeo-
que hoc solum est peccatū, quod
neq; in hoc, neq; in altero sæcu-
o remittitur, juxta Evangelium.
Unde dicit Hieron: *Solum crimē
ordis impœnitentis esse, quod ve-
niam consequi non potest.* Time
ergo, qui talis es, certam damna-
ionem, quam effugere modo
am facilè potes, confitendo uni

homini peccata tua. Hac autem omissa confessione, visne miser potius habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis? Audi Apostolum Rom. 2. *An divitias bonitatis Dei, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.*

3. Audiatur Hieronymus ep. 48. qui Sabinianum Diaconum luxuriosum, & in sceleribus obduratum, ita monet: *Nunquam sera est pœnitentia. Quamvis de Hierosolymis descenderis, & sis in itinere vulneratus, inde te Samaritanus impositum jumento ad stabulum referet. Sed etsi mortuus*

jaces

jaces in ſepulchro, tamen & fœtentem Dominus ſuſcitabit. - - Licèt ab utero ſic genitus ſis, & in delictis te conceperit mater tua, lavabit te, & ſuper nivem dealbaberis. Quid incurvus terræ hæres, & totus in cœno jaces? Illa quam decem & octo annis ſatanas vinxerat, à Salvatore curata, cælum ſubexit.

4. Adduci poteſt exemplum horrendum, de quodam infirmo obdurato; quem cùm S. Franciſcus Borgias non poſſet ad pœnitentiam inducere, oſtendendo imaginem Chriſti crucifixi, & per ejus vulnera obteſtando; fertur Chriſtus manu revulſa è cruce, ſangvinem ex vulnere lateris ſumpſiſſe, & in faciem impœnitentis projeciſſe, dicendo: Sangvis hic ſit tibi in perditionem. Ne igi-

tur idem tibi contingat: *Ingredere in petram, absconde te in fossa humo à facie timoris Domini.* Isai. 2, id est in vulneribus Salvatoris. Ab ipso fuge ad ipsum, ab irato tibi, ad vulneratum pro te: à Judice ad Redemptorem.

§ 8. *Remedia contra apparitiones in morte.*

In morte fieri apparitiones tũ Sanctorum, tum dæmonum, testantur exempla, & S. Gregorius in suis Dialogis. Ubi refert, Melitoni Monacho morituro apparuisse Angelum, eiq; legendum ostendisse in libro nomen suum aureis literis scriptum. Item puellæ Musæ apparuisse B. Virginem, cui illa dicebat: *Ecce Domina venio, ecce venio,* & in his verbis exspiravit. Item Tersillæ Virgini,

suæ

suæ Amitæ, morti vicinæ visum JESUM venientem: quæ ideo clamabat: *Recedite, Recedite, IESVS venit*, & sic obiit. E contra aliis ante obitum apparuisse dæmones testatur idem Sanctus. Sicut refert de quodã Crysorio, qui tremens ac pallens, cùm videret dæmones, clamabat: *Inducias usq; mane, inducias usq; mane*, atq; in his vocibus mortuus est. Item de quodam Theodoro ficto Religioso, qui vicinus morti clamabat: *Recedite: ecce Draconi ad devorandum traditus sum: jam caput meum suo ore absorbuit:* quanquam hic orationibus fratrum liberatus fuit à dæmonibus.

Cæterùm non facilè putandũ est, semper veras esse, quæ ab infirmis asseruntur apparitiones: sæ-

pe enim proveniunt, vel à vehementi infirmi imaginatione, vel à debilitate capitis, vel ab humore melancholico, vel ab illusione dæmonis. Quòdsi esset vera dæmonis apparitio: 1. Recurrendum est ad orationem, ut procul dæmon abigatur, præsertim ad B. Virginem, ad S. Michaëlem Archangelum, & ad chorum Angelorum, qui Potestates vocantur; hi enim omnes specialem habent supra dæmones potestatē. 2. Invocanda sacrosancta JESU & MARIÆ nomina, quæ sunt malignis spiritibus tremenda, & quorum recordationem timent dæmones, (ut S. Bernardus ait de nomine MARIÆ,) *fugiuntq; tanquam cera à facie ignis*. 3. Utendum aquâ lustrali, & signo crucis, ut supra dictum, ad hunc finem.

4. Adhibendæ SS. reliquiæ, & cera benedicta à Pontifice, vulgo Agnus Dei; hæc enim quantùm valeant ad fugandos dæmones, testantur multa exempla in flor. exempl. c. 3. Tit. 72. Deniq́ue facienda abrenuntiatio: Abrenuntio tibi satana, & conjungo me tibi Christe in vita, morte, & æternitate.

CAPUT XIV.

Mors in Domino Beata.

ITa eam describit S. Joannes Apoc. 14: *Audivi vocem de cælo dicentem: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: Opera enim illorum sequuntur illos.* Et verò, quomodo non beatum est mori in Deo? Cùm enim Deus sit vita, immo

immo & beatitudo nostra obje-ctiva, mori in Deo, est mori in ipsa vita & in beatitudine, seu potiùs, est vitam mortalem & mi seram commutare cum vita im-mortali, & cum beatitudine; quâ morte quid beatiùs contingere potest?

Sed quid est mori in Deo? Respondeo ex iis, quæ habet P. Paulus Segneri in sua supra hæc verba meditatione: est mori in gratia Dei, seu in habitu charita-tis. Nam ut ait idem Aposto-lus 1. Joan. 4: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*: consequē-ter, qui moritur in charitate, mo ritur in Deo. Et hoc modo o-mnes justi moriuntur in Domi-no. Sed perfectiùs moriuntur in Domino ij, qui moriuntur in

acti-

ctibus charitatis; qui videlicet
noriuntur, se totaliter proijci-
ndo in sinum Divinæ providen-
iæ, qui suam animam in vulnera
alvatoris deponunt, qui inter
mplexus Christi moriuntur: hos
nim vicissim ipse brachiis suis
mplectitur, ita ut moriãtur cum
Moyse in osculo Domini. O
nortem beatam!

Verùm ut quis hoc modo mo-
iatur in Domino, debet etiam
vivere in Domino, sicut de seipso
dicebat Apostolus Gal. 2: *Vivo
iam non ego, vivit verò in me
Christus*, consequenter vivo in
Christo. Nam ordinariè homi-
nes ibi moriuntur, ubi stabiliter
vivunt. Proinde qui vivit in
Domino, vitam suam abscondē-
do in Deo, quod fit per crebram
Dei memoriam, per cogitationē

de Deo

de Deo, per amorem Dei frequentem, & per relationem omnium suarum actionum in gloriam Dei & gustum; is moritur etiam in Domino. E contra autem qui vivit in peccato, seu in habitu peccandi, is etiam ordinariè in peccato moritur. Et ideo Dominus dixit Judæis Joan. 8: *In peccato vestro moriemini*, quia vivebant in peccato infidelitatis, & odii in Christum.

Porrò ut quis ita vivat & moriatur in Domino, debet esse prius sibi & mundo mortuus, videlicet negligendo se, obliviscendo sui, non amando se, nec quidquã aliud amando propter se, nisi in Deo, & propter Deum. Nam ideo dicitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur;* quia tales qui in Domino moriuntur, jam prius sup-

us ſupponuntur mortui, nempe mundo & ſibi. Et de talibus dixit S. Paulus Coloſ. 3: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo,* adhuc ante mortem naturalem. Quid autē eſt habere vitam in Deo abſconditam? niſi ita vivere, ut nihil ſpectes in tuis actionibus, nihil guſtes & ames, niſi Deum, ejuſque voluntatem: ſicut apis dum eſt abſcondita in melle, nihil videt, nihil guſtat præter mel ſuū.

Qui hoc modo vivit, & moritur in Domino, ô quâm beatam habet mortem! Nam illam ſtatim, aut brevi poſt, ſequetur quies non ſolùm negativa, id eſt ceſſatio à moleſtiis & laboribus hujus vitæ; ſed etiam quies poſitiva, id eſt poſſeſsio & fruitio ſummi & omnis boni. Et ideo

additur

additur: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Ubi notandum est, quod talē mortem beatam, & quæ eam cōsequitur statim quietem, non unus, sed multi præcedere debent labores, pro gloria Dei tolerati, alioquin non diceretur, *ut requiescant à laboribus suis*; nec requiescerent *Amodo*, sed quies differretur diutiùs in purgatorio, si pauci præcederent labores. Cùm autem multi præcedunt in hac vita labores, sequitur mors gloriosa, quam videlicet sequuntur opera, quasi quidam comitatus honorificus in triumpho. Et sicut victores antiqui ingrediebantur urbem ducendo post se in triumpho Duces debellatos, & imagines urbium expugnatarum: ita justi ingrediuntur cœlum, ducendo

cendo quasi in triumpho tentationes superatas, debellatas passiones, difficultates in obsequio divino victas: *opera enim illorum sequuntur illos.*

CAPUT XV.

Mors Iustorum in Dei judicio secura.

TImorem Divini judicii tria potissimum incutiunt, nempe materia judicii, Persona Judicis, & sententia.

Materia judicii erunt imprimis omnia peccata nostra tam interna quàm externa, tam commissionis, quàm omissionis, omnesq; defectus occultissimi, quos Deus non recitabit, aut commemorabit, prout fieri solet in Tribunalibus hominum, sed illos ita

simul

ſimul in uno momento tempo-ris revelabit, ut omnes appareāt in omni parte nostri intima, ſi-cut in vitro tranſparente poſito ad ſolem, omnes maculæ appa-rent. Et ideo illa verba Apoſto li 2. Cor. 5. *Omnes nos manifeſta ri oportet ante Tribunal Chriſti*, textus Græcus legit: *Pellucidos fieri*, quia ſcilicet tunc apparebit anima noſtra ante tribunal Chri-ſti, tanquam cryſtallus ante ſo-lem. O quæ confuſio tunc no-ſtra erit, cum anima alia appare-bit intus, quam modo videatur exteriùs ab hominibus! Tunc e-nim verificabitur illud Thr. 1. *Omnes qui glorificabant eam, ſpre verunt eam, quia viderunt igno-miniam ejus.*

Deinde tunc judicabuntur nō tantùm iniquitates noſtræ, ſed e-

tiam

tiam justitiæ, juxta illud Psal. 74: *Ego cùm accepero tempus, justitias judicabo:* nempe tunc opera nostra, quæ nunc videntur de se justitiæ, examinabuntur quoad intentionem, quoad applicationem, & quoad alias circumstantias, an non fuerint vitiata. Nam ut dicitur Sap. 6: *Qui custodierint justa justè, justificabuntur*, quia non satis est facere justa, sed requiritur ut justa fiant justè. Nunc etiam multæ nostræ justitiæ sunt palliatæ, quia scilicet vitia contegimus aliquo prætextu virtutis, v. g. iracundiam zelo, prout de quodam dicitur Isa. 59: *Indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli.* Sæpè item operamur ex conscientia laxa vel affectata, judicando id justum esse & licitum, quod

est

est injustum, v. g. me hic & nunc non teneri ad restitutionem, non teneri ad reconciliationem cum inimico, ad removendam talem occasionem peccandi; potestq; de talibus dici, quod *ipsi sibi sunt lex* Rom. 2. Sed in die judicii tales justitiæ judicabuntur, & apparebunt injustitiæ.

Præterea materia judicii Divini erunt media nobis ad salutem concessa, uti sunt Christus, ejusq; merita, Sacramenta, conciones, exempla bonorum, illuminationes, inspirationes Divinæ: item occasiones meritorum: item dotes & talenta à Deo collata; insuper ipsum tempus ejusq; momenta: unde dicitur Thr. 1. *Vocavit adversum me tempus.* De his enim omnibus stricta ratio reddēda erit, quomodo his usi simus.

Atq;

Atq; ita non unus tunc apparebit servus, plusquam decem millium talentorum debitor, quod Domini sui tot talenta prodigè & sine fructu expenderit.

Quod spectat ad Personam Judicis, *horrendum est incidere in manus Dei* Judicis Heb. 10. Est enim hic Judex omnipotentissimus, qui *potest & animam & corpus perdere in gehennam*, & cui nemo resistere potest. Est sapientissimus, quem nihil latere potest, *quia omnia nuda & aperta sunt oculis eius*. Heb. 4. nec ullus eum potest fallere. Est justissimus, qui nullis muneribus tunc corrumpi, nullis precibus à lege justitiæ flecti poterit; apud quem non valebit illa excusatio: *serpens diabolus decepit me*: nec aliæ similes excusationes; nullis

etiam respectibus ducetur, non nobilitate, non ingenio, non sapientiâ, non eloquentiâ. Est Judex in suis decretis immutabilis, ac proinde feret sententiam irrevocabilem. Est Judex supremus, à quo ad forum altiùs non datur appellatio.

Quàm porro exactè omnia examinabit, ipse testatur Soph. I. *Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis*, id est cum tãto studio & solicitudine quæret in anima nostra bonum opus, cum quali, mulier illa *accendit lucernam*, drachmam quærendo. Itaque ad has lucernas apparebunt tunc omnia nostra opera quæ sũt in tenebris, id est sive interna, quæ sunt in profundo cordis, sive externa, quæ sunt in tenebris occultationis, vel oblivionis; imò

appa-

apparebunt tunc etiam minutissimæ nostræ imperfectiones; quia lucerna ad id adhibetur, ut appareāt ea quæ sunt in tenebris, aut quæ sunt minuta. Ubi advertendum est cum P. Paulo Segneri in suis meditationibus, quod tunc Judex hic non in una lucerna scrutabitur animam nostram, sed scrutabitur in multis lucernis. Nam scrutabitur ad lumen sapientiæ suæ infinitæ, *in cujus conspectu non est invisibilis ulla creatura.* Hebr. 4. Scrutabitur ad lumen rationis nostræ, quod dictabat hoc esse illicitum: de quo dicitur Psal. 4: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Scrutabitur ad lucernam fidei, & legis suæ promulgatæ per libros, & per Prædicatores: nam *Mandatum lucerna est, & lex lux* Pro-

verb.

verb. 6. Scrutabitur ad lucernam exemplorum Christi & Sanctorũ, videndo an opera nostra fuerint illis conformia; nam ideo Christus tam seipsum, quàm Sanctos vocavit *Lucem mundi*, propter exempla, quæ nos illuminant. Deniq; scrutabitur ad ipsum lumen solis, quod multa nostra mala opera videt de die, & ad lumen stellarum, quæ vident mala nostra opera de nocte: Unde dicitur Job. 20: *Revelabunt cœli iniquitatem ejus.* Tam exactum erit hoc scrutinium, seu judicium.

Deniq; illa hujus Judicis sententia: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, quàm tremenda est! Quæ videlicet removebit reprobos à statu beatitudinis, seu à statu omnium bonorũ aggregatione perfecto, & à Deo

ſummo bono, ad ſtatum omnium malorum aggregatione cumulatiſsimum, cum jactura ſummi & infiniti boni, & quidem irrevocabiliter, & in æternum. Quod enim hoc malo pejus cogitari poteſt?

Cæterùm quamvis judicium Dei ex his capitibus ſit adeò horrendum, non deſunt tamen modi, quibus juſti homines ſibi illud facile reddunt, & quandam in illo ſecuritatem ſibi conciliant.

1mus modus eſt, ſeipſum per examen conſcientiæ exactum, & per confeſsionem ſacramentalem judicare, condemnare, & plectere: Nam dicit Apoſtolus 1. Cor. 11. *Si noſmetipſos judicaremus, non utiq; judicaremur.*

2dus. Exemplo S. Hieronymi frequenter recordari Divini judi-

cii; nam ejus timore vitabimus peccata, subtrahemusq; materiã ejusdem horrendi judicii. Ita de seipso dicit David Psal 17: *Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo, quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo.*

3tius. Neminem judicare. Est enim promissio Christi Mat: 7. & Luc. 5: *Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.*

4tus. Condonare offensas inimicis, ut Deus nostras condonet in suo judicio. De quo talis est Christi promissio Mat. 6: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

5. Nunc

5. Nunc conciliare sibi & reddere faventem Christum Judicē, exemplo Jacob Gen. 32, qui sciens fratrem suum Esau sibi esse infensum, dixit: *Placabo illum muneribus, & postea videbo illum: forsitan propitiabitur mihi.*

6tus. Maxima securitas in die judicii erit Religiosis, qui reliquerunt in mundo omnia, & secuti sunt Christum per imitationem. Nam illi juxta juratam Christi promissionem, erunt tunc Assessores Christi, & alios judicabunt. Iis enim dicitur Mat. 19: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me,* (relinquendo videlicet omnia, quod præmissum fuit,) *in regeneratione, cùm venerit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes, judicantes.*

CAPUT XVI.

Mors Sanctorum, virtutum Actibus ornata.

POnentur hîc variarum virtutum Actus ex Sacra ſcriptura, qui moriētibus uſui eſſe poſſunt. Producentur item fuſiùs affectus ex S. Auguſtino: tum quia eius opera apud multos non habentur: tum quia in ejus libris, hi affectus non habentur hoc ordine diſpoſiti.

§ I. *Actus Fidei.*

1. Prima ſummaq; tam in cognoſcendo, quàm in dicendo Veritas Deus meus, credo in te; & omnia quæcunq; in Eccleſia Catholica revelaſti, ac per tot prophetias impletas, per tot miracula, per tot martyria, per conſen-

ſum

ſum populorum ac gentium, veluti ſigillis tuis confirmaſti, ego firmiſsimè amplector, propter tuam veritatem revelantē. Cum hac, in hac, ex hac fide vivere, operari, & mori volo: immo etiam mori pro hac fide paratus ſum.

2. Credo quidquid dixit Dei Filius: nihil hoc verbo veritatis verus. S. Thom. Nominatim expreſsè firmâ fide credo ſuper omnia, & profiteor Deum exiſtere, eſſeq; unum in Eſſentia, & trinū in Perſonis, nempe Patrem, Filium, & Spiritum S, atq; eundem Deum eſſe Remuneratorem bonorum operum & malorum. Credo etiam JESUM Chriſtum eſſe verum Deum & hominem, humani generis per paſsionem & mortem ſuam Redemptorem

Judicem vivorum & mortuorum. Credo Spiritum S. esse eundem verum Deum, à Patre Filioque peocedētem. Credo unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicā Romanam Ecclesiam, ejusq; omnes definitiones firmissimè assero.

3. Circa omnes articulos hujus fidei captivo in obsequium tuum Christe intellectum meum, quia veracitas tua revelans dignior est assensu, omnibus scientiis naturalibus.

4. Renovo omnes actus fidei, à SS. Martyribus, & Ecclesiæ Doctoribus unquam elicitos, eosq; approbo, & tibi Domine offero in supplementum meæ fidei imperfectæ. Omnes infidelium sectas, & hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, ego pariter reij-

cio, damno, & execror, quia veracitati Divinæ oppositas.

5. Protestor coram te, usq; ad extremum spiritum, me hanc fidem constantissimè retenturum, & quidquid mihi contra illam in mentem venerit, id penitus esse & fore contra meam voluntatem. Ita me adjuvet gratia Redemptoris mei.

Actus fidei ex Scriptura.

Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Mar. 9.

Domine qui dixisti: *Qui in me credit, etiamsi mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum:* Joan. 11, imple promissum tuum.

Credo enim quia tu es Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Joan. 11.

JESU mi *amo te, & credo, quia à Deo existi.* Joan. 16.

Credo Filium Dei esse IESVM Christum. Act. 8.

Non erubesco Evangelium: virtus enim est in salutem omni credenti. Rom. 1.

Domine, adauge mihi fidem. Luc. 17.

Domine, sicut dixisti Magdalenæ & aliis, dic animæ meæ: *Fides tua te salvum fecit.* Matt. 8. Luc. 7.

Tu es Christus Filius Dei vivi. Mat. 16.

JESU bone *roga pro me Patrē, ut non deficiat fides mea,* sicut pro Petro rogasti. Luc. 22.

In fide vivo & morior *Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2.

Non est in aliquo alio salus, nisi in

ſi in nomine JESU Chriſti, *nec aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Act. 7.

Habemus firmiorem propheticũ ſermonem, cui attendimus quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat æternitatis. 2. Petr. 1.

Credo & ſpero videre bona Domini in terra viventium. Pſal. 26.

Teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis. Pſal. 92.

Tu es ipſe Rex meus & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob. Pſal. 42.

Emitte lucem fidei *& veritatẽ tuam, ipſa me deducant, & adducant ad templum ſanctum tuum,* ad cœlum, *& in tabernacula tua.* Pſal. 42.

Lex Domini immaculata con-

vertens

vertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis, præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Psal, 18.

Tu illuminas lucernam meam, intellectum meum, *Deus meus illumina tenebras meas* ignorantiæ meæ. Psal. 17.

Adhæsi per fidem *testimoniis tuis Domine, noli me confundere.* Psal. 118.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Ib.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, revelatio tua, *super mel ori meo.* Ib.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis in via æternitatis. Ibid.

Hereditate acquisivi testimonia tua, quia exultatio cordis mei sunt. Ibid. *Domi-*

Domine oculi tui respiciunt fidem. Jerem. 5. Respice fidem meam.

Iste Deus meus, glorificabo eum, Deus Patris mei, & exaltabo eum. Exodi 15.

Da mihi Domine fidei donum electum. Prov. 3.

Ex S. Augustino.

Vide totum caput 32. Soliloq. ubi habetur confessio fidei.

In tentationibus contra fidem hæc servire possunt, quæ habentur Soliloq. c. 3. O lux invisibilis, „ cui omnis abyssus humani cordis est visibilis: ecce tenebræ „ super faciē abyssi mentis meæ: „ tu es lumen. Ecce caligo super „ aquas cordis mei: tu es veritas. O verbum per quod facta sunt omnia, sine quo factū „

est

„ est nihil - - Verbum quod di-
„ xisti ab initio, fiat lux, & facta
„ est lux, sic etiam mihi, fiat
„ lux; & facta sit lux, & videam
„ lumen, quia sine tua luce non
„ est veritas, adest error, adest
„ vanitas: non est discretio, ad-
„ est confusio; adest ignorantia,
„ non est scientia: adest cæcitas,
„ non est visio: adest mors, non
„ est vita.

Et cap. 4. *Sol.* O Domine ver-
„ bum, ô Deus verbum, qui es
„ lux, per quem facta est lux; qui
„ es via, veritas, & vita, in qua
„ non sunt tenebræ, error, vani-
„ tas, neq; mors. Lux, sine qua
„ tenebræ: via sine qua error; ve-
„ ritas, sine qua vanitas: vita, si-
„ ne qua mors: dic verbum Do-
„ mine, fiat lux, ut videam lucẽ,
„ & vitem tenebras *infidelita-*

tis, videam viam, & vitem in- „
vium, videam veritatem, & vi- „
tem vanitatem, videam vitam, „
& vitem mortem. Illumina- „
re Domine lux mea, illumina- „
tio mea, & ſalus mea -- Illu- „
minare lux huic cæco tuo, qui „
in tenebris & in umbra mortis „
ſedet, & dirige pedes ejus in „
viam pacis, per quam ingredi- „
ar in locum tabernaculi admi- „
rabilis uſq; ad domum Dei, in „
voce exultationis & confeſsi- „
onis. Vera enim confeſsio eſt „
via, per quam ingrediar ad te „
viam, per quam egrediar ab in- „
vio, & revertar ad te viam, quia „
tu es vera via vitæ.

§ 2. *Actus Spei.*

1. Summa Bonitas, & Fidelitas, in promiſsis infallibilis, Deus me-

us in

us, in te, & per te ſpero omnia bona, quæcunq; promiſiſti, tam temporalia quàm æterna. Cum hac ſpe, in hac ſpe, ex hac ſpe vivere, operari, & mori volo.

2. Mi Deùs, major eſt bonitas tua, quàm mea malitia: Tua miſericordia ſuperexaltat judicium: in te igitur totam ſpem meam repono.

3. Tu Domine es omnipotens, qui potes mihi dare omnia bona: es omniſcius, qui vides meam indigentiam: es miſericors & ſummè bonus, qui vis mihi bonum: ſpero igitur propter has tuas perfectiones, remiſsionem peccatorum, finalem gratiam, & vitam æternam.

4. JESU benigniſsimè, qui *factus es nobis juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* 1. Cor. 1. diffido

omni-

omninò viribus & meritis meis, ſed per bonitatem & merita tua infinita ſpero veniam peccatorū, gratiam, & gloriam.

Ex Scriptura.

Dominus petra mea, & robur meum, & Salvator meus, Deus fortis meus, ſperabo in eum: elevator meus, & refugium meum, Salvator meus de iniquitate liberabis me. *2. Reg. 22.*

Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. *Iob. 13.*

Qui ſperat in Domino, beatus eſt. Prov. *16.* Fac Domine, ut hæc ſpes me beatum faciat.

Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Eccl. *2.* Domine non me confundat ſpes mea.

Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſumēt pen-

nas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficiēt. *Iſa.* 40. Da Domine mihi pennas ſpei, ūt ad te perveniam.

Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illū. *Thren.* 3. Experiar id Deus meus.

Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum meum: - - repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. *Iob.* 19.

Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. *Sap.* 3.

Domine non ſis mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis. *Ier.* 17.

Spero videre bona Domini in terra viventium. *Pſal.* 26.

Tu Domine ſuſceptor meus es, gloria

gloria mea, & exaltans caput meum. *Psal.* 3.

Non timebo millia *inferni* circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus. *Ibid.*

Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine. Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Psal.* 9.

Dominus pars hereditatis meæ: tu es qui restitues hereditatem meam mihi. *Psal.* 15.

Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usq; in finem. *Ibid.*

Providebo Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, insuper & caro mea requiescet

ſcet in ſpe. Quoniam non dereliques animam meam in inferno, nec dabis ſervum tuum videre corruptionem. *Ibid.*

Deus meus adjutor meus, & ſperabo in eum; Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. *Pſal.* 17.

Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me, dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis: in tribulatione mea invocabo Dominum, & exaudiet de templo ſancto ſuo vocem meam. *Ibid.*

In te Domine eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. *Ibid.*

Deus Deus meus -- in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. *Pſal.* 62.

Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? *Psal.* 26.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. *Psal.* 41.

Adjutor meus tibi psallam, quia Deus meus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea. *Psal* 58.

Deduc me Domine *ad te*, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. *Psal.* 60.

In Deo faciemus virtutem, *ô anima mea*, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. *Psal.* 59. & *Psal.* 107.

Ipse Deus & salutaris meus, susceptor meus; non movebor

ampli-

amplius. Ipſe Deus & Salvator meus non emigrabo *ab eo.* In Deo ſalutare meum, & gloria mea, Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt. *Pſal. 61.*

Deus noſter Deus ſalvos faciendi, & Domini exitus mortis. *Pſal. 67.*

Domine ſpes mea à juventute mea, in te confirmatus ſum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus. *Pſal. 70.*

Nunquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet? aut obliviſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? *Pſal. 76.*

Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te. *Pſal. 83.*

Miſerator & miſericors Do-

minus, longanimus & multum misericors, non in perpetuum irascetur, nec in æternum comminabitur: non secundùm peccata nostra fecit nobis, neq; secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. *Psal.* 102.

Quomodo miseretur Pater filiorum, miseretur Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatur quoniam pulvis sumus, homo sicut fænum dies ejus -- Misericordia Domini ab æterno usque in æternum super timentes se. *Ibidem.*

Adjutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum supersperavi. *Psal.* 118.

Vivet anima mea *in æternitate*, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me. *Ibid.*

Leva-

Levavi oculos meos in montes, *in ſanctos Dei*, unde veniet auxilium meum mihi. Auxiliũ meum à Domino qui fecit cœlum & terram. *Pſal. 120.*

Qui confidit in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum. *Pſal. 124.*

Dominus firmamentum meũ, & refugium meum, & liberator meus. *Pſal. 17.*

Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus. *Pſal. 117.*

Oculi mei ſemper ad Dominũ, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. *Pſal. 24.*

In Domino ſperans non infirmabor; quoniam miſericordia

tua Domine ante oculos meos est, & complacui in veritate tua *promittente mihi illam. Psal. 25.*

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocabit, ſuper aquam refectionis educabit me. *Pſal. 22.*

Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Ibid.*

Tu es qui extraxiſti me de ventre. Spes mea ab uberibus matris meæ: in te projectus ſum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me. *Pſal. 21.*

Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant in miſericordia eius. *Pſ.* 146.

In pace in idipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine

mine singulariter in spe constituisti me. *Psal. 4.*

In te Domine speravi, non cõfundar in æternum. *Psal. 30.*

Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino, susceptot meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum. Ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero *in die judicii*, scapulis suis *in cruce extensis* obumbrabit mihi, & sub pennis ejus sperabo. Scuto circumdabit me veritas ejus, non timebo à timore nocturno .. Quoniam tu Domine spes mea altissimum posuisti refugiũ tuum. *Psal. 90.*

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor. *Psal. 10.*

Ecce Deus Salvator meus, fiducia-

ducialiter agam & non timebo: quia fortitudo mea & laus Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. *Iſaiæ* 12.

Dominus adjutor meus & protector meus, in eo ſperavit cor meum, & adjutus ſum. *Pſal.* 27.

Ego autem in Domino ſperabo, exultabo & lætabor in miſericordia tua. *Pſal.* 30.

Jacta ſuper Dominum curam tuam *ô anima mea*, & ipſe te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem juſto. *Pſal.* 54.

Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum ſperabo. *Pſal.* 56.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo

non etiam cum illo omnia donavit? *Rom.* 8.

Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus etiam cum Christo. *Rom.* 5.

Omnia possum in eo, qui me confortat. *Phil.* 4.

Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum *meritorum* servare in illum diem justus Judex. 2. *Tim.* 1.

Domine spem mihi facit verbũ tuum, quo dixisti: Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit, & credit in me non morietur in æternũ. *Ioan.* 1

Cùm corpus istud meum cadi in sepulchrum; seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmita-

mitate, surget in virtute. 1. *Cor.* 15

Ex S. Augustino.

Ecce Plasmator mi multa „ rogo, qui nec pauca promerui. „ Fateor heu fateor, non solùm „ quæ postulo non debentur do- „ na, sed multa & exquisita sup- „ plicia. Animant tamen me pu- „ blicani, meretrices & latrones, „ qui faucibus hostis momenta- „ neè eruti, sinibus excipiuntur „ Pastoris. Tu enim factor o- „ mnium Deus, licet in cunctis „ operibus tuis sis mirabilis, „ mirabilior tamen crederis esse „ in operibus pietatis. Unde de „ te ipso dicitur: Miserationes „ ejus super omnia opera ejus. „ - - - Nullum enim spernis, ne- „ minem abjicis, neminem per- „ horrescis, nisi forte qui amens „

,, te exhorruerit. Ergo iratus
,, non modo non percutis, ſed ir-
,, ritantibus te, dona ſi quieverint
,, tribus. - - Revocas errantem,
,, invitas repugnantem, exſpectas
,, torpentem, amplexaris rede-
,, untem. Doces ignorantem,
,, mærentem mulces, à ruina ſu-
,, ſcitas, poſt lapſum reparas, pe-
,, tenti largiris, quærenti inveni-
,, ris, pulſanti aperis. *Med. cap.* 2
,, *Amplectere me redeuntem Pater*
,, *miſericordiarum, & Deus toti-*
,, *us conſolationis, quærenti inve-*
,, *nire, pulſanti aperi.*

Multum eſt quod mea mere-
,, tur impietas, ſed longè majus,
,, quod Redemptoris mei repo-
,, ſcit pietas. Magna eſt mea
,, injuſtitia, verùm major Redē-
,, ptoris juſtitia. Quantò nam-
,, que ſuperior eſt Deus homine,
tantò

tantò mea malitia est inferior ejus bonitate, & qualitate, & quantitate. cap. 8. Quid enim deliquit homo, quod non redemerit Filius Dei factus homo, *Ibidem.*

Est in te Domino JESU Christo dulcissimo, benignissimo, atq; clementissimo uniuscujusq; nostrûm portio, caro, & sangvis. Ubi ergo *nempe in cælo* portio mea regnat, ibi me regnare credo. Ubi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum esse cognosco. Ubi sangvis meus dominatur, ibi me dominari sentio. Et si delicta mea me excludunt, naturæ cõmunio non repellit. Non enim tam immitis est Dominus, ut obliviscatur hominis, quem ipse gestat, & quem mei causa

„ suscepit. Mitis verò & valdè
„ benignus est Dominus Deus
„ noster, & diligit carnem suam,
„ membra sua, & viscera sua. - -
„ Sumus autem caro ejus, &
„ membra ejus. Ipse denique
„ est caput nostrum, ex quo to-
„ tum corpus; os de ossibus me-
„ is, & caro de carne mea; & ne-
„ mo unquam carnem suam o-
„ dio habuit, sed diligit, & fovet
„ eam. *Med. c. 15. & Man. c. 12.*

Defecisti in te? spera in Do-
„ mino *anima mea*. Turbaris
„ in te? spera in Deo, qui te e-
„ legit ante mundi constitutio-
„ nem, qui te prædestinavit, qui
„ te vocavit, qui te impium ju-
„ stificavit, qui tibi glorificatio-
„ nem promisit, qui pro te mor-
„ tem sustinuit, qui pro te san-
„ gvinem fudit, qui te in se trās-
„ figuravit. *Ser. 20. Novor.*

Ego creatura tua Deus ſub um-
bra alarum tuarum ſperabo in „
bonitate, quâ me creaſti. Ad- „
juva creaturam tuam, quam „
creavit benignitas tua. Non „
pereat in malitia mea, quam o- „
perata eſt bonitas tua. Non „
pereat in miſeria mea, quam fe- „
cit ſumma clementia tua. - - - „
Hæc te cogat Domine Deus „
meus clementia ad ſalvandum, „
quæ te compulit creare. Ipſa „
te vincat ad ſalvandum, quia „
nec nunc minor eſt: quia ipſa „
charitas tu ipſe es, qui ſemper „
idem es. *Solil. c.* 11.

Confitebor tibi Domine o- „
pus manuum tuarum in timo- „
re tuo: quia non in arcu meo „
ſperabo, & gladius meus non „
ſalvabit me, ſed dextera tua, „
& brachium tuum, & illumi- „

„ natio tua: alioquin desperarē.
„ Quoniam spes mea tu es, qui
„ creasti me: quoniam non de-
„ relinquis sperantes in te. Tu
„ quippe es Domine Deus no-
„ ster svavis & patiens, in miseri-
„ cordia disponens omnia. Nam
„ si peccaverimus, tui nos sumus
„ quoniam apud te sumus com-
„ putati. -- Tu nosti figmentum
„ nostrum Domine Deus no-
„ ster. Num Deus inæstimabi-
„ lis fortitudinis, contra folium
„ quod à vento rapitur, ostende-
„ re vis potentiam tuam? & sti-
„ pulam siccā persequeris? Num
„ damnabis Rex Israël æterne
„ canem unum? Num damnabis
„ pulicem unum? Audivimus
„ Domine de misericordia tua,
„ quoniam tu mortem non facis,
„ nec lætatis in perditione mo-
rient-

rientium. -- Si enim doles de „ perditione, quid te prohibet „ Domine, qui omnia potes, ne „ ſemper læteris de noſtra ſalva- „ tione? Domine ſi vis, potes „ me ſalvare. Solil. c. 24. *Velis,* „ *& ſalvus ero.*

Deſperare utiq; potuiſſem „ propter nimia peccata mea, & „ vitia & culpas, quas ego, & „ quotidie indeſinenter ago cor- „ de, ore, & opere, niſi Verbum „ tuum Deus meus, caro fieret „ & habitaret in nobis. Sed de- „ ſperare jam non audeo, quoni- „ am ſubditus ille tibi uſq; ad „ mortem, mortē autem crucis, „ tulit chirographum peccatorū „ noſtrorum, & affigens illud „ cruci, peccatum crucifixit, & „ mortem. In ipſo autem ſecu- „ rus reſpiro, qui ſedet ad dexte- „

„ ram tuam, & interpellat pro
„ nobis. In ipso confisus ad te
„ pervenire desidero, in quo jam
„ resurreximus & reviximus, jam
„ in cœlum conscendimus, & in
„ cœlestibus considemus *Ma-
„ nual. c. 13. Idem fere habet
„ Medit. c. 14.*

Deus amore venit ad homines,
„ venit in homines, factus est ho-
„ mo. Amore Deus invisibilis
„ servus factus est visibilis. Amo-
„ re vulneratus est propter deli-
„ cta nostra. Tuta & firma re-
„ quies est infirmis in vulneribus
„ Salvatoris. Securus illic habi-
„ to. Patent mihi viscera per
„ vulnera. Quidquid mihi ex
„ me deest, usurpo mihi ex visce
„ ribus Domini mei, quoniam
„ misericordiâ affluunt, nec de-
„ sunt foramina per quæ efflu-
ant.

ant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis. Patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Vulnera JESU Chriſti plena ſunt miſericordiâ, plena pietate, plena dulcedine, & charitate. Foderunt manus ejus, & pedes eius, & latus eius. Per has rimas licet mihi guſtare, quàm ſvavis eſt Dominus Deus meus, quoniã revera ſvavis & mitis, & multæ miſericordiæ eſt omnibus invocantibus eum in veritate, omnibus inquirentibus, & maximè diligentibus. *Manual.* 21.

Tota ſpes mea eſt in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, & refugium meum, ſalus, vita, & reſurrectio mea. Meritum meum miſera-

tio

„ tio Domini. Non sum meriti
„ inops, quamdiu ille miseratio-
„ num Dominus non defuerit.
„ Et si misericordiæ Domini mul
„ tæ, multus ego sum in meritis.
„ Quantò ille potentior est ad
„ salvandum, tantò ego securior.
„ Man. c. 22.

Peccavi peccatum grande, &
„ multorum sum mihi conscius
„ delictorum: nec sic despero:
„ quoniam ubi abundaverũt de-
„ licta, superabundavit & gratia.
„ Qui de venia peccatorum su-
„ orum desperat, negat Deum
„ esse misericordem. Magnam
„ injuriam Deo facit, qui de e-
„ jus misericordia diffidit. Quã-
„ tum in se est, negat Deum ha
„ bere charitatem, veritatem, &
„ potestatem, in quibus tota spes
„ mea consistit, - - - - - - - -

Nunc

Nunc igitur murmuret jam ,,
quantum voluerit insipiens ,,
cogitatio mea dicens: Quis e- ,,
nim es tu? & quanta gloria ,,
illa? quibus meritis illam ob- ,,
tinere speras? Et ego fiduci- ,,
aliter respondebo: Scio cui ,,
credidi, quia in charitate nimia ,,
adoptavit me in filium, quia ,,
verax est in promissione, po- ,,
tens in exhibitione, & licet ei ,,
facere, quod vult. Non pos- ,,
sum terreri multitudine pecca- ,,
torum meorum, si mors Do- ,,
mini in mentem meam vene- ,,
rit: quoniam peccata mea illũ ,,
vincere non possunt. Clavi ,,
& lancea clamant mihi, quod ,,
verè reconciliatus sum Christo ,,
si enm amavero, Longinus ,,
,aperuit mihi latus Christi lan- ,,
ceâ, & ego intravi, & ibi re- ,,

quie-

„ quiesco securus. Qui timet, „ amet: quoniam charitas foras „ mittit timorem. Redemptor „ meus extendit brachia sua in „ cruce, & expandit manus suas; „ paratus in amplexus peccato- „ rum. Inter brachia Salvato- „ ris mei & vivere volo, & mori „ cupio. Ibi securus decanta- „ bo: Exaltabo te Domine, „ quoniam suscepisti me, nec de- „ lectasti inimicos meos super „ me. Salvator noster caput in- „ clinavit in morte, ut oscula „ daret suis dilectis. Toties „ Deum osculamur, quoties in „ ejus amore compungimur. „ *Man. c. 23.*

Securus sum, accepturum me „ vitam ipsius, qui pignus habeo „ mortem ipsius. - - Impius e- „ ram & mortuus est pro me; justifi-

„ justificatus sum & deseret me?
„ Qui iustificavit impium, relin-
„ quet pium? *In Psal. 96.*

§ 3. *Actus charitatis erga Deum.*

1. Summum Bonum, purum & omne Bonum meum, Deus meus, te ego æstimo, amo, & amplector supra omnia bona creata propter infinitam tuam bonitatem, dignitatem, pulchritudinē ac dulcedinem. Cum hoc, in hoc amore vivere, operari, & mori volo.

2. Amo te summè obiectivè, summè appretiativè, summè intensivè, non tantùm quia mihi bonus es, sed magis quia in te ipso & tibi ipsi summè bonus es. Hinc malo privari omnibus aliis bonis externis & internis, etiam

vita

vità & esse meo, quàm privari gratiâ tuâ, vel quam te mi Deus privare gustu & gloriâ tuâ.

3. O centrum cordis mei, abstraho cor meum ab omnibus creaturis, tibiq; totus adhæreo, ac me totum tibi unio & inseparabiliter adstringo in vita, in morte, & æternitate, quia dignus es omni amore.

4. Amo te quantùm debeo, quantùm possum, quantùm vis, quantùm donas, quantùm dignus es. Amo te in omnibus, sine omnibus, præ omnibus, pro omnibus. Amo te Seraphice, Marianè, vellem etiam Theandricè. Amo te omnibus viribus meis, omnibus atomis totius substantiæ meæ, secundùm totam vim activam meam, vellē etiam, si possem, secundùm totam amabilitatem

rem tuam. Amo te toto me: vellem etiam, si possem, amare te toto Te.

5. Ex amore tui, gaudeo gratulorq; tibi de tua divinitate, & de omnibus bonis tuis tam internis, quàm externis, eaq; omnia tibi faveo, acsi mea essent, atque ea augere millies ac millies vellem, si id fieri posset.

6. Desidero ardentissimè, ut ab omnibus, in omnibus, super omnia, magis ac magis sine fine ameris & glorificeris in æternum, quia vis, quia dignus es. Ipse verò unicè volo mi Deus in omnibus meis actionibus, passionibus, & omissionibus implere tuam voluntatem, atq; dare gustum & exaltare tuam dignitatem, per mea omnia incommoda, per depressiones, etiam per ipsam mortem, si tibi placet.

7. Desidero te videre, te amare, teq; frui in æternum, ô pulchritudo infinita, non tam quia id bonum meum est, sed magis quia id bonum tuum est, ut videlicet læteris de creatione & redẽptione mei, utq; hoc modo crescat gloria tua.

8. Da Domine quod vis, ut amem te perfectè, in vita, morte, & æternitate.

Ex Scriptura

Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Hab. 3.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meũ, & liberator meus. Psal. 17.

Quàm dulcis & rectus Dominus Psal 24.

Quàm bonus Deus, his qui recto sunt corde. Psal. 72.

Quid

Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terrã Deus cordis mei & pars mea Deus in æternũ. Ibid.

Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam. Ibid.

Indica mihi quem diligit anima mea, ubi cubes, ubi pascas in meridie. Cant. 1.

Surgam & circuibo civitatem Cælestem, *quæram quem diligit anima mea.* ô Sancti Dei: *num quem diligit anima mea videtis!* Ita est; utinam & ego vobiscum inveniam quem diligit anima mea. *Tenebo illum, nec dimittam. Cant.* 3.

O Sapientia Dei increata *præpono te regnis & sedibus, & divitias nihil esse duco comparatione tui: super salutem & speciem diligo te.* Sap. 7.

Domine tu omnia nosti, tu scis

quia

quia amo te. Ioan. 21.
Quis me ſeparæbit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia? - -Certus ſũ quia neq; mors neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit me ſeparare à charitate, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro. Rom. 8.

O amabilis IESV, qui dixiſti Ioan: 14. *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum:* da ut te diligam ſuper omnia.

Ex S. Auguſtino.

// Spes cordis mei, virtus ani-
// mæ meæ, ſi nondum merui,
// quantum debitor ſum amare,
// utiq; ſaltem deſidero te amare,
// quantum debeo - - da ut

quan-

quantum iubes, tantum te merear amare: - - perfice quod incepisti, & dona, quod me indignum præveniendo desiderare fecisti. Converte benignissime meum torporem in ferventissimum tui amorem. *Med. c.* 41.

IESV dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, pretiosissime, amabilissime, pulcherrime, tu melle dulcior, lacte & nive candidior, nectare svavior, gemmis & auro pretiosior, cunctisq; terrarum divitiis, & honoribus mihi charior - - Scis occultorum cognitor Deus, quoniam cælo, terrâ & omnibus, quæ in ea sunt, tu mihi acceptior tu mihi amabilior es. Diligo enim te super cælum & terram, & cætera

ra omnia, quæ in eis ſunt. Amo te Deus meus amore magno, magiſq́; te amare cupio: da mihi, ut amem te ſemper quantum volo, quantum debeo, ut tu ſolus ſis tota intentiò mea, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies ſine ceſſatione, te ſentiam per ſoporem in nocte, te alloquatur ſpiritus meus, tecum fabuletur mens mea - - Et quia tui valida eſt ut mors dilectio, abſorbeat quæſo mentem meam ignita & melliflua vis amoris tui, ut tibi ſoli inhæream, ſolâq́; tuæ ſuavitatis memoriâ patiar - -

Domine ſpes Sanctorum, & turris fortitudinis eorum, Deus vita animæ meæ, per quam vivo ſine qua morior; lumen oculo-

oculorum meorum, per quod video, sine quo orbor; gaudium cordis mei, & lætitia spiritus mei: diligam te toto corde meo, & tota anima mea, & totis medullis & visceribus meis, quia tu prior dilexisti me. *Solil: c. 7.*

Amo te Deus meus, magisq́; semper amare cupio, quia tu es revera omni melle dulcior, omni lacte nutribilior, omni luce clarior. Idcirco supra omne aurum, & argentum, & lapidem pretiosum es mihi charior. O ignis qui semper ardes & nunquam extingueris: o amor qui semper ferves, & nunquam tepescis, accende me: accendar à te totus, ut totus diligam te. Minus enim te amat, qui tecum aliqnid a-

mat

mat, quod propter te non amat Solil. c. 19.

O ignis qui ſemper luces, & nunquam obfuſcaris, illumina me. O utinam arderem ex te. Ignis ſancte quam dulciter ardes, quàm ſecretè luces, quàm deſideranter aduris! væ qui non illuminantur ex te. Solil: c. 34.

O anima mea inſignita dei imagine, redempta Chriſti ſanguine, deſponſata fide, dotata ſpiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis, dilige illum à quo tantùm dilecta es. Intende illi, qui intendit tibi. Quære quærentem te. Ama amatorem tui, à quo amaris, cuius amore præventa es, qui eſt cauſa amoris tui. Ipſe eſt meritum, ipſe præmium, ipſe frùctus, ipſe uſus, ipſe finis

Ama

Ama illum qui eduxit te de la-
u miseriæ & de luto fecis.
Elige illum amicum tuum, præ
omnibus amicis tuis, qui cum
omnia subtracta fuerint, solus
ibi fidem servabit. In die se-
pulturæ tuæ, cum omnes ami-
i tui recedent à te, ille non
derelinquet, sed tuebitur à ru-
gientibus præparatis ad escam,
& conducet te per ignotam
regionem, atq; perducet ad
plateas supernæ Sion, & ibi col-
locabit te cum Angelis ante
faciē majestatis suæ. *Man. c.* 24

O dulcedo amoris, o amor
dulcedinis, comedat te venter
meus, & nectare tui amoris re-
pleantur viscera mea, & eructet
mens mea verbum bonum.
Charitas Deus meus, mel dul-
ce, lac nivium, cibus es grandi-

um, fac me crescere in te, ut
„ sano palato possis manducari à
me. Tu es vita mea, quâ vi-
„ vo, spes cui inhæreo, gloria
quam adipisci desidero. Tu mi-
„ hi cor tene, mentem rege, in-
tellectum dirige, amorem eri-
„ ge, & in superna fluenta os si-
tientis te spiritûs trahe. *Man.*
„ *cap.* 12.
Amo te Deus meus, amo te,
„ & magis ac magis amare volo.
Da mihi Domine Deus meus,
„ speciosè præ filiis hominum,
ut desiderem te, & amem te,
„ quantùm volo, & quantùm de-
beo. Immēsus es, & sine men-
„ sura debes amari, præsertim à
nobis, quos sic amasti, sic sal-
„ vasti, pro quibus tānta & talia
fecisti. O amor qui semper
„ ardes & nunquam extingveris,
dulcis

ulcis Christe, bone JESU, cha- tas Deus meus, accende me otum igne tuo, amore tui, dul edine tuâ, dilectione tui, de- derio tui, jucunditate & e- ultatione tui, pietate & sva- itate tuâ, voluptate & concu- iscentia tui, quæ bona & san- ta est: ut totus dulcedine amo- is tui plenus, totus flammâ haritatis tuæ vaporatus, diligã e Dominum meum dulcissi- num, pulcherrimum, ex toto orde meo, ex tota anima mea, x totis viribus meis, ex omni ntentione mea, cum multa ordis contritione, lachryma- um fonte, cum multa reverẽ- ia, & tremore, habens te in orde, & in ore, & præ oculis neis, semper & ubiq; : ita ut ullis in me adulterinis amo-

ribus pateat locus. *Man. 10. & Medit. c. 35.*

Excita, te nunc anima mea, & erige totum intellectum tuũ, & cogita quantùm potes, quantum & quale sit illud bonum, quod est Deus; si enim singula bona delectabilia sunt; cogita intentè, quàm delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatẽ omnium bonorum. Si est bona vita creata quàm bona est vita creatrix! Si jucunda est salus facta, quàm jucunda est salus, quæ fecit omnem salutem - - O qui hoc bono fruetur, quid illi erit? quid illi nõ erit? Certè quidquid voluerit, illi erit; quidquid noluerit, illi non erit - - Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & cor-

poris tui? Ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona, „ & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonũ, „ & ſatis eſt. *Man. c. 33. & 34.*

§ 4. *Affectus laudis Dei & glorificationis.*

1. Deus meus ſis benedictus in æternum, ab omnibus, in omnibus, ſuper omnia.

2. Summa & omni cultu digniſsima Majeſtas, Pater, Fili, & Spiritus S. te ego viliſsima tua creatura, in centrum nihili mei proſtratus, adoro cultu latriæ, teq; laudo, & glorifico, ampliùs & amplius ſine fine.

3. Approbo & renovo omnes actus laudis & glorificationis tui, elicitos unquam, eliciendos, imò & elicibiles, ab omnibus cre-

aturis rationalibus, præteritis, præsentibus, & futuris, imò etiam possibilibus: easq; tibi offero mi Deus ad gustum & gloriam tuam.

4. Cum omnibus Seraphinis, àc Sanctis omnibus tecum regnãtibus, millies ac millies, imò non toties, quin pluries ingemino: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth: plena est omnis terra gloriâ ejus.

5. Gaudeo summe Deus, quòd tu teipsum condigne laudes & glorifices in æternum: atq; hunc affectum laudis & amoris, quo te ipsum ab æterno prosequeris, tibi offero in supplementum mei imperfecti erga te affectûs.

6. Adoro, benedico, & glorifico in æternum tuam *Asseitatem*, seu Tibi se solâ sufficientiam, cui meas præsento omnes indigẽtias

Tuam

Tuam *Omnipotentiam*, omnia quæ ſunt creantem, conſervantē, & omnibus cooperantem, à qua gaudeo me totaliter dependere, pluſquam radium à ſole.

Tuam *Sapientiam*, cognoſcentem comprehenſive teipſum, & omnia alia præſentia, præterita, futura, & poſsibilia, cui nuda ſunt & aperta omnia opera mea.

Tuam *Immenſitatem*, quâ totus ubiq; es, & in me totus es.

Tuam *Æternitatem*, quâ ſemper es, & eris ſine fine.

Tuam *Infinitudinem*, quâ omnes infinitas creaturas poſsibiles in te contines, & excedis.

Adoro & glorifico tuam *Veracitatem* infallibilem revelātem, cui credo.

Tuam infallibilem *Fidelitatem* promittentem mihi bona æterna, cui confido.

Tuam

Tuam infinitam *Bonitatem*; quam summè amo, æstimo, & amplector.

Tuam *Pulchritudinem* beatificantem Sanctos, quam videre desidero.

Tuam *Dulcedinem* ſvaviſsimã, quam cupio guſtare.

Tuam *Liberalitatem & Beneficentiam*, cui gratias ago pro omnibus beneficiis.

Tuam *Iuſtitiam* quam timeo: *Miſericordiam* quam invoco.

Tuam *Voluntatem*, rectiſsimã regulam morum, cui me in omnibus conformare volo.

Tuam *Providentiam*, in cujus ſinum me proijcio.

Tuas *Relationes ad intra, Notiones, Origines, Proceſsiones, Subſiſtentias*, quas veneror, & admiror.

Tua

Tua *Libera Decreta*, de omnibus disponentia ab æterno, quibus me totum & omnia mea subjicio quoad vitam, mortem, & æternitatem.

Ex Scriptura.

Vivat Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Psal. 17.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Psal. 117. *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Ibid.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo: Psal. 33.

O Sancti Dei omnes: *magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Ibid.

Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari

suo. omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi? Psal. 34.

Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in mōte sancto ejus. Psal. 47.

Benedictus Dominus Deus, qui facit mirabilia magna solus: & benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & repleatur maiestate ejus omnis terra. Psal. 71.

Quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia. Psal. 76.

Domine Deus virtututum quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo - - Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundasti. - - Tuum brachium cum potentia. Psal. 88.

Tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos. Pſ. 96. *Mi-*

Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Psal. 100.

Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facilis verbum eius. - - Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius. Benedic anima mea Domino. Psal. 102.

Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Psal. 103.

Quàm magnificata sunt opera tua Domine; omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Psal. 103.

Sit gloria Domini in sæcula, lætetur Dominus in operibus suis. Psal. 106.

Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua. - - Magna est super cælos misericordia tua, & usq; ad nubes veritas tua. Psal. 107.

Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi. Psal. 144. - - *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Ibid. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi.* Ibid. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Ibidem.

Iustus es Domine & rectum iudicium tuum. Psal. 118.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Deum in vita mea, psallam Deo, quamdiu fuero. Psal. 145

Magnus Dominus, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Psal. 146.

Domine Deus Patrum nostrorũ benedicant te cæli & terra, mareq́ & fontes, & flumina, & omnes cre-

aturæ

aturæ tuæ, quæ in eis sunt. Tob. 8.

Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula, & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & super exaltatum in omnibus sæculis. Dan. 3.

Regi sæculorum immortali & invisibili soli Deo honor & gloria. 1. Tim. 1.

Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Apoc. 7.

Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatē, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Apoc. 4.

Sedenti in throno, & Agno benedictio & honor & gloria, & potestas in sæcula. Ibid.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Ibid.

Ex S. Augustino.

Deus meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam, & lingva mea cantet laudes tuas. *Med. c 33.*

Quis sum ego Domine per me, ut laudem te? Pulvis & cinis ego sum; canis mortuus & foetens ego sum: vermis & putredo ego sum. Nunquid tenebræ laudabūt lucem, aut mors vitam? Tu lux, ego tenebræ: tu vita, ego mors. Nunquid vanitas veritatem laudabit? Tu veritas, ego homo similis

factus vanitati. - - - Laudet ergo te Domine Deus meus incomprehēsibilis potentia tua, incircūscriptibilis sapientia tua, ineffabilis bonitas tua. *Sol. c. 10.*

Quid dico de te Deus meus? Quid dico dulcedo felix & secura? Dico quod valeo, sed non dico, quod debeo. Utinam poſsim talia dicere, qualia illi hymnidici Angelorum chori! O quam libenter me in laudibus tuis totum effunderem! O quàm devotiſsimè illa cœleſtis melodiæ cantica ad laudem & gloriam nominis tui in medio Eccleſiæ infatigabilis perorarem! Sed quia talia non poſſum, nunquid tacebo? Væ tacentibus de te, qui mutorum ora reſolvis, & lingvas infantium facis eſſe diſertas.

Væ tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti sunt, cùm
„ non tuas laudes dicunt. Quis dignè te laudare potest ô ineffabilis virtus & sapientia Patris?
„ Et quoniam nulla invenio verba, quibus te sufficienter valeam explicare cunctipotens, &
„ omniscium Verbum, dicam interim quod valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi pos-
„ sim dicere, quod te decet, & me oportet. Et ideo suppliciter rogo, ut non respicias
„ tantum ad id, quod modo dico, sed ad id quod dicere opto. Cupio enim desiderio
„ magno, de te loqui quod oportet, & decet, quia te decet laus, te decet hymnus, tibique
„ debetur omnis honor. *Med. cap.* 35.

§ 5.

§ 5. *Actus Gratiarum actionis pro beneficiis.*

Summa bonitas Deus meus, quomodo ſuper me indignum & ingratum multiplicas beneficia tua?

Sis benedictus in æternum pro omnibus donis naturæ, gratiæ, gloriæ, prædeſtinatis, per Chriſtũ promeritis, à te collatis & conferendis mihi, & omnibus electis tuis. Sis benedictus Pater miſericordiarum pro creatione mei, pro conſervatione, pro cuſtodia Angelica, pro concurſu ad omnes actus honeſtos.

Sis benedictus Fili Dei, Redemptor mei, pro tua Incarnatione, pro doctrina, pro exemplis virtutum, pro inſtitutione, uſu, & administratione Sacramẽtorum mihi con-

hi concesſis, pro mei per paſsionem & mortem tuam redemptione.

Sis benedictus Spititus S. Deus, pro ſanctificatione mei per gratiam habitualem, pro habitibus virturum infuſis, pro donis tuis, pro gratiis actualibus excitantibus, adjuvantibus, operantibus, ſubſequentibus: pro vocatione ad fidē, ad Religionem, pro præſervatione à peccatis gravioribus, pro externa protectione tua.

Pro his omnibus ac ſingulis, aliiſq; innumeris beneficiis confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi.

Ex Scriptura.

Benedicimus Deum cœli, & coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Tob. 12. *Do-*

Domine, quid est homo, quod memor es eius, & filius hominis, quia reputas eum? Psal. 8.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam fecisti judiciũ meum & causam meam. - - - Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Psal. 9.

Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam & misericordiam suam à me. Psal. 65.

Tenuisti manum dexteram meam ne peccarẽ, *& in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Psal. 72.

Confitebor tibi Domine Deus mtus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Psal. 85.

Misericordias Domini in æternū cantabo. Psal. 88.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum. Psal. 105.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris, pasſionem Christi & meam, *accipiam, & nomen Domini invocabo.* Psal. 115.

Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus inimicorum. *Anima nostra erepta est de laqueo venantium. Laqueus contri-*

contritus est, & nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Psal. 123.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæcula misericordia eius. Psal. 135.

Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum: confitebor nomini tuo, quoniam adjutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione. - - Et liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ tuæ à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam. Eccli. 51.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri IESV *Christi qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* 2. Cor. 1.

Benedictus Deus & Pater Domi

ni nostri IESV Christi, qui secundùm misericordiam suam magnā, regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem IESV Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & immarcescibilem. I. Petr. I.

Magnificat anima mea Dominū, -- quia respexit humilitatem servi sui. Luc. I,

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. Ibid.

Ex S. Augustino.

Gratias ago tibi clementissime & benignissime amator hominum Deus, qui per JESUM Christum Filium tuum Dominum nostrū, cùm non essemus, potenter fecisti nos, & cùm perditi fuissemus culpâ nostrâ mirabi-

mirabiliter liberasti, & recuperasti nos. Gratias ego pietati tuæ, & multas tibi laudes refero ex totis præcordiis meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem, quâ nos miseros & indignos, mirabili bonitate amare dignatus es, misisti eundem unigenitum tuum de sinu tuo, salvare nos tunc peccatores, filios perditionis. Gratias ago tibi pro sancta incarnatione & nativitate eius, & gloriosa Genitrice sua, de qua ipse carnem assumere dignatus est propter nos, & propter nostram salutem, ut sicut Deus verus de Deo, ita verus homo ex homine esset. Gratias tibi ago pro passione & cruce ejus, pro morte & resurrectione ejus, pro ascensione eius ad

cœlum

coelum, & ſede majeſtatis ejus ad dexteram tuam. - - Gratias tibi ago pro ſacratiſsima illa effuſione pretioſi ſangvinis e-jus, quo ſumus redempti, ſimul & pro ſacroſancto & viviſico myſterio corporis & ſangvinis ejus, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur, & potamur, abluimur & ſanctificamur, & unius ſummæ divinitatis participes efficimur. Gratias ago tibi pro mira & inenarrabili charitate, quâ nos indignos ſic amaſti, & ſalvaſti per unicum, & dilectum Filium tuum. Sic enim dilexiſti mundum, ut unigenitum tuum dares, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Med. c. 14.*

Gloria Patri qui creavit nos; gloria

gloria Filio, qui redemit nos: gloria Spiritui S, qui ſanctificavit nos: gloria ſummæ & individuæ Trinitati, cujus opera inſeparabilia ſunt, cujus imperium ſine fine manet. *Med. c. 33.*

Collaudabo te Deus meus, qui creaſti me, cùm non eſſem; qui illuminaſti me, cùm in tenebris eſſem: qui reſuſcitaſti me, cùm mortuus eſſem: qui qui paviſti me à juventute mea omnibus bonis tuis: & hunc inutilem vermem fætentem peccatis, nutris omnibus donis tuis. - - Confiteor tibi in toto corde meo, quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Et quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas

ſitas eum? --- Et unde hoc mihi, ô Creator cœli & terræ, qui bonorum meorum non indiges, unde hoc mihi, quod dilexiſti me? O ſapientia quæ aperis os mutum, da mihi vocē laudis, ut enarrem omnia beneficia tua, quæ mihi à principio contuliſti, *Solil. c. 7.*

Medice ſpirituum ſana animā meam, ut confitear tibi ſalus animæ meæ ſuper omnibus beneficiis tuis, quibus paſcis me à juventute mea, & uſq; in ſenectam & ſenium. Te deprecor per teipſum, ne derelinquas me. Feciſti me cum nō eſſem; redemiſti me cùm periiſſem: perieram, mortuus fueram, ad mortuum deſcendiſti, mortalitatem ſuſcepiſti; ad ſervum Rex deſcendiſti, ut ſervū

redi-

redimeres, teipſum tradidiſti ;
ut ego viverem, tu mortem „
ſuſcepiſti, mortem viciſti. Me
inſtauraſti, cùm te humiliaſti.
Perieram, abieram, in peccatis „
venundatus eram ; veniſti pro
me ut redimeres me, & tantū
me dilexiſti, ut ſangvinem tu- „
um dares in pretium pro me.
Dilexiſti me Domine pluſquam
te, quia mori voluiſti pro me. „
Tali pacto, tam caro pretio re-
duxiſti me de exilio, redemiſti
me de ſervitio, retraxiſti me à „
ſupplicio. Vocaſti me nomi-
ne tuo, ſignaſti me ſangvine
tuo, ut memoriale tuum ſem-
per eſſet apud me, & nunquam „
recederet à corde meo, qui pro
me non receſsit à cruce. Un-
xiſti me oleo tuo, in quo tu
unctus fuiſti, ut à te Chriſto

„ dicerer Christianus. En in manibus tuis descripsisti me, ut semper sit memoria mea apud „ te, si tamen memoria tua fuerit jugiter apud me. Sic igitur gratia tua semper & mise„ ricordia prævenerunt me. De multis namq; & magnis periculis liberasti me liberator meus. Quando erravi, ad viam „ reduxisti me: quando ignoravi, docuisti me: quando peccavi, corripuisti me: quando tristis „ fui, consolatus es me: quando desperavi, confortasti me: quãdo cecidi, erexisti me: quando „ steti, tenuisti me: quando ivi, deduxisti me: quando veni, suscepisti me: quando dormivi, custodisti me: quando clamavi, „ exaudisti me. *Solil. c. 13.*

Confiteor tibi Domine Deus pau-

us paupertatem meam, & ſit tibi tua gloria tota, quoniam tuum eſt bonum per me geſtū. Domine confiteor, ut docuiſti me, nihil aliud ſum, quàm univerſa vanitas, umbra mortis, & abyſſus quædam tenebroſa, & terra inanis & vacua, quæ ſine tua benedictione nihil germinat, fructum quoq; non facit, niſi confuſionem, peccatum, & mortem. Si quid boni unquā habui, à te recepi; quidquid boni habeo, tuum eſt, vel à te habeo. Si quādo ſteti, per te ſteti; ſed quando cecidi, per me cecidi, & ſemper in luto jacuiſſem, niſi me erexiſſes, ſemper cæcus fuiſſem, niſi me illuminaſſes: quando cecidi, nunquā ſurrexiſſem niſi tu mihi manum porrexiſſes; Poſtquam me etiam ere-

xiſti, ſemper cecidiſſem, niſi tu
me ſuſtinuiſſes: ſæpiùs periiſsē
„ niſi tu me gubernaſſes. Sic
ſemper Domine gratia tua, &
miſericordia tua prævenit me,
„ liberans me ab omnibus malis,
ſalvans à præteritis, ſuſcitans à
præſentibus, & muniens à futu-
„ ris: præcidens etiam ante me
laqueos peccatorum, tollens oc
caſiones, & cauſas; quia niſi tu
„ hoc mihi feciſſes, ego omnia
peccata mundi feciſſem. Quo-
niam ſcio Domine, quòd nul-
„ lum peccatum eſt, quod unquã
fecerit homo, quod non poſsit
facere alter homo, ſi Creator
„ deſit, à quo factus eſt homo.
Sed quod non facerem, tu fe-
ciſti; quod abſtinerem, tu juſsi-
„ ſti; & quod tibi crederem, gra
tiam tu infudiſti. Tu namque
Domi-

Domine regebas me tibi, & ut peccatum non committerem, gratiam & lumen donasti *Sol. c. 15.* Tentator defuit, & ut deesset, tu fecisti: locus & tempus defuit, & hæc ut deessent, tu fecisti. Affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus; sed ut non consentirem, tu me tenuisti. Venit tentator tenebrosus, ut est, & ut eum despicerem, tu me confortasti. Venit tentator armatus & fortis; & ut me non vinceret, tu eum refrenasti, & me roborasti. Venit tentator transfiguratus in Angelum lucis; & ut me non deciperet, tu eum increpasti, & ut eum cognoscerem, tu me illuminasti. *Solil. cap. 16.*

Gratias tibi agam Domine,

ne ſim ingratus tibi, liberator
„ meus: quoniam liberaſti me.
Quoties jam me abſorbuerat il-
„ le draco, & tu Domine ab ore
eius extraxiſti me. Quoties e-
go peccavi, & ipſe præparatus
„ fuit deglutire me: ſed tu Do-
mine Deus meus defendiſti me.
Cùm contra te iniquè agebam,
„ cum tua mandata frangebam,
ſtabat ipſe paratus ut me rape-
ret ad infernum: ſed tu prohi-
„ bebas. Ego te offendebam, &
tu me defendebas. Ego te non
timebam, & tu me cuſtodie-
„ bas. A te recedebam, & ini-
mico meo me exhibebam; tu
ipſum, ne me acciperet, deter-
„ rebas, & ego miſer non cogno
ſcebam. Sic enim multoties à
faucibus diaboli me liberaſti,
de ore leonis eripuiſti, & ab in-

ferno licet neſcientem me mul
tis vicibus reduxiſti. Deſcendi „
enim uſq; ad portas inferni: &
ne illuc intrarem, tu me tenui-
ſti. Appropinquabam uſq; ad „
portas mortis, & ne me cape-
rent, tu feciſti. De morte eti-
am corporis ſæpiùs eruiſti me „
Salvator meus, cùm graves
morbi tenerent me, cùm fui in
periculis multis per mare, per „
terras, ab igne, & gladio, & ab
omni periculo liberans, ſem-
per mihi adſtans, & miſericor- „
diter ſalvans. - - Hæc & mul-
ta mihi alia beneficia exhibui-
ſti, & ego eram cæcus, & non „
cognovi, donec illuminaſti me.
- - En illuminaſti me, & co-
gnoſco te, quia vivo per te, & „
gratias ago tibi licet viles, &
exiles, & impares beneficiis tu-

is, quales habet mea fragilitas
„ offero: quoniam tu es solus
Deus meus, Creator meus be-
„ nignus, qui amas nostras ani-
mas, & nihil odisti eorum, quæ
„ fecisti. En ego primus inter
peccatores, quos salvasti, ut e-
xemplum aliis tribuam beni-
„ gnissimæ pietatis tuæ, confite-
ar tibi beneficia tua magna,
quoniam eripuisti me de infer-
„ inferiori, semel, & secundò, &
tertiò; & centies, & millies: &
ego semper ad infernum ten-
„ debam, & tu me semper redu-
cebas, & justè millies damnas-
ses me, si voluisses. Noluisti,
„ quia amas animas, & dissimu-
las peccata hominum propter
„ pœnitentiam Domine Deus
meus. *Solil. c. 18.*

§ 6.

§ 6. Actus Timoris Dei.

1. Summa Majestas, Deus meus, *quàm terribilis es! & quis non timeat te, dum columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum tuum?* Et ego vermiculus tuus, *& vilis de palude prodiens ranuncula*, timeo te imprimis timore reverentiali, tuamq; admirando supra me dignitatem, & meam agnoscendo infinitam à te distantiam, recedo, & resilio in abyssum nihili mei, in eoq; me immergo & sepelio.

2. Timeo te timore servili tanquam potentissimum Dominum servus profugus, & tanquam reus Judicem justissimum, *ne crucier in gehenna.*

3. Timeo te timore mercenarii, ut pessimus operarius Remu-

nera-

neratorem, *ne excludar à gloria*, quàm præparasti diligentibus te.

4. Sed maximè timeo te timore filiali, tanquam filius Patrē amantissimum; ne *deserar à gratia tua*, ne tibi displiceam, ne te offendam.

Ex Scriptura

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, & mundo concorde. Ps. 23. Væ mihi quia talis non sum.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei, defectus quos cōtemno, *circumdabit me. Psal.* 48. Timeo id Domine.

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.

Quis

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam in coelo. Psal. 54.

Tu terribilis es Deus meus *& quis resistet tibi? ex tunc ira tua.* Psal. 34.

Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Psal. 89.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. Ps. 118.

Nisi Dominus ædificaverit domum in coelis, *in vanum laboraverunt, qui ædificant eam: nisi Dominus custodierit civitatem* cordis, *frustra vigilat, qui custodit eam.* Psal. 126.

Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit? Psal. 129.

Domine quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero ad cœlum, tu illic es: si descendero

dero in infernum, ades. - - Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. - - Imperfectum meum viderunt oculi tui Psal. 138.

Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Psal. 6.

Ne projicias me à facie tua & Spiritum S. tuum ne auferas à me. Psal. 50.

Domine dum veneris judicare, noli me condemnare. Job. 10. *Vereor opera mea, sciens, quod nõ parcas delinquenti.* Job. 9.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Eccl. 1.

Sit mihi *timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis.* Ibid.

Iustæ & rectæ sunt viæ tuæ Rex sæculo-

sæculorum: quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? Apoc. 15.

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Heb. 10.

Nihil mihi conscius sum, sed nõ in hoc justificatus sum; qui enim judicat me Dominus est. 1. Cor. 4.

Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psal. 142.

Nunquid homo, Dei comparatione justificabitur? aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei sunt instabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quantò magis, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea? Job. 4.

Quid faciam cùm surrexerit ad judicium Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi? Job 31.

Neſcit homo, utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta. Eccl. 9.

Quis mihi hoc tribuat, ut in vulneribus Salvatoris mei *abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus?* Job 14.

Ex S. Auguſtino.

Deus Deorum Domine præſtabilis ſuper malitia, novi quia manifeſtus venies, novi quia non ſemper ſilebis: cùm in conſpectu tuo ignis exardeſcet, & in circuitu tuo tempeſtas valida ingruerit, cùm advocaveris cœlum deſuper, & terram diſcernere populum tuum, & ecce coram tot millibus populorum nudabuntur iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcelera

mea. Tot judicibus inops adstabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exemplar. Tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus. *Med. c. 4.*

Magna sunt judicia tua Domine Deus, justè & fortis, qui judicas æquitatem, & inscrutabilia facis, & profunda. Quæ cum considero, contremiscunt omnia ossa mea, quoniam non securatur homo vivens super terram, ut serviamus tibi piè & castè cunctis diebus vitæ nostræ in timore, & exultemus tibi cum tremore, ut non sit servitium sine timore, neq; gaudium sine tremore, & non glorietur accinctus equè, ac discinctus,

ctus, neq; glorietur ante te omnis caro, sed pavescat & contremiscat à facie tua; tum ignoret homo utrum amore an odio dignus sit, sed in futurum omnia reservantur incerta. Vidimus enim multos Domine, & à Patribus nostris audivimus, quod utiq; sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitùs quodammodo usq; ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlo cecidisse, ab impetu ferientis caudæ Draconis: & eos qui jacebant in pulvere terræ, à facie sublevantis manus tuæ Domine mirabiliter ascen-

ascendisse. - - Vidimus lucem „
obtenebrasse, & de tenebris lucem processisse; quia publicani
& meretrices præcedunt inco- „
las, in regno cœlorum, filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores. Quare autem „
ita omnia? nisi quia in montem illum ascenderũt, in quem
primus ascendit Angelus, & „
descendit diabolus. *Solil. c. 29.*

Væ mihi misero cùm venerit dies judicii, & aperti fuerint „
libri conscientiarum, cùm dicetur de me: Ecce homo, & „
opera ejus. Quid faciam tunc
Domine Deus meus, cùm cœli revelabunt iniquitatem me- „
am, & adversum me terra consurget? Ecce nihil respondere
potero, sed demisso capite, „
præ confusione coram te stabo

trepidus & confusus. *Med. c. 39.*

„ O quàm sumus fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigium apparet. Et tamen sub Christi confessione positi, ligno crucis ferimur, navigantes per hoc mare magnum & spatiosum, ubi sunt reptilia, quorum non est numerus: ubi sunt animalia pusilla cum magnis: ubi est Draco sævissimus semper paratus ad devorandum. Ubi sunt loca periculosa Scylla & Charibdis, & alia innumerabilia in quibus naufragantur incauti, & in fide dubii. *Med. c. 24.*

§ 7.

7. *Actus Contritionis seu Pœnitentiæ.*

1. Summum bonum, omni a-
nore dignissimum Deus meus,
x amore tui deteſtor, & retracto
mnia & ſingula mea peccata;
e illiſq; doleo ſuper omnia, pro-
ter te, quia ſunt offenſa tua, &
nalum tuum, quia tibi ſummo
ono opponuntur & diſplicent.

Doleo etiam de iis, ex motivis
liarum virtutum, doleo de iis,
ui ſunt *irreverentia Majeſtatis*
uæ. Doleo de iis, quia ſunt *in-*
uſtitia & læſio ſupremi juris tui,
n omnes creaturas. Doleo, quia
unt *inobedientia mandatorum tu-*
rum. Doleo, quia ſunt *ingra-*
itudo pro tot beneficiis tuis.

3. Utinam te nunquam offen-
diſſem ô purum, ô ſummum, ô
infini-

infinitum, ac omne bonum meũ. Væ tempori, quo te offendi.

4. Confundor & erubesco de mea protervia, ac insania, quod ego vilis terræ vermiculus ausus sim insurgere contra tuam majestatem, meq; opponere tuæ omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitati. Et quis ego sum comparatione tui? O quàm abominabilis sum factus in conspectu tuo, totiusque curiæ tuæ cœlestis, propter peccata mea, tanquam ulcus ex quo tanta sanies peccatorum, tantaq; lues vitiorum effluxit!

5. Quando tandem erit finis turpitudinis meæ? Ecce nunc amore tui Deus meus firmissimè statuo custodire judicia justitiæ tuæ. Protestor quod malo mori, malo omnia vitæ hujus præsentis ac futuræ mala pati, quàm te ul-

e ullo peccato etiam veniali offendere: quia hæc est voluntas dignitatis tuæ, & hæc dignitas tuæ voluntatis.

Ex Scriptura.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo, Psal. 18.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, secundùm misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine Psal. 24.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. Ibid.

Confi-

Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remittes impietatem meam. Psal. 31.

Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. -- Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Psal. 37.

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. --- Tibi soli peccavi & malum coram te feci. Peccatũ meum contra me est semper. -- Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Psal. 50.

Domine ne memineris iniquitatum

um mearum antiquarum, citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis, nempe in virtutibus. *Adjuva me Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui libera me, & propitius esto peccatis meis propter nomen tuum.* Psal. 76.

Exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Psal. 118.

Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum Domine. Ibid.

Hæccine *reddidisti Domino* anima mea, *stulta & insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit te, & creavit te? Deum qui te genuit dereliquisti, & oblita es Domini Creatoris tui.* Deut. 32.

Peccavi, iniquè egi, impiè gessi, & nunc revertor ad te Deus in u-

niverso corde meo, & tota anima mea. 3. Reg. 8.

Peccavi, injustè egi, iniquitatē feci: Tu qui pius es miserere mei Jud. 7.

Pater peccavi in cœlum & coram te, non sum dignus vocari Filius tuus. Luc. 15.

Deus propitius esto mihi peccatori. Luc. 18.

Ex S. Augustino.

Deus meus, cornu salutis meæ „ & susceptor mei, ego infelix ego te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum „ provocavi, iram promerui peccavi & passus es; deliqui & adhuc sustines. Si pœniteo „ parcis: si revertor, suscipis: insuper dum differo, præstolaris Revocas errantem, invitas repugnan-

pugnantem, exſpectas torpen-tem, amplexaris redeuntem. Fortitudo mea Domine, firmamentum meum, Deus meus, refugium meum, & liberator mei, ſuggere quid de te cogitem, quibus te ſermonibus invocem, da quibus operibus tibi placeam. Scio namq; ſcio unum quo tu placaris, & aliud quod non ſpernis. Eſt utique ibi ſpiritus contribulatus ſacrificium, & acceptas cor contritum & humiliatum. His me Deus meus dita muneribus: his contra inimicũ muni protectionibus. *Med. c. 2.*

Heu mihi, quàm ſerò venio ad te Deus meus! heu heu quàm tardè feſtino, heu me quia curro poſt vulnera, dedignans præcavere jacula. Negle-

xi prospicere tela: modo verò
„ solicitor de morte vicina. Vul-
nera vulneribus inflixi, quia
scelera sceleribus addere non
„ timui. Recenti cicatrices la-
be respersi, quia prisca flagitia
modernis iniquitatibus recipro-
„ cavi, & quæ divina solidave-
rat medicina, mea resolvit pru-
rigo phrenetica. Cutis quæ
„ superducta vulneribus morbū
celaverat, sanie erumpente pu-
truit, quia iterata iniquitas cō-
„ cessam misericordiam exinani-
vit. - - Quoties ut canis ad
vomitum redii, & quasi sus re-
„ petii volutabrum? - - Sed tu
justus Judex signans peccata
quasi in sacculo, observasti o-
„ mnes semitas meas, & cunctos
gressus meos dinumerasti. Ta-
cuisti, semper siluisti, patiens
fuisti

isti. Væ mihi, demum loque-
s quasi parturiens. *Med. c. 3.* „
Domine JESU, ubi sunt mi-
ricordiæ tuæ antiquæ? Nun-
uid irasceris mihi in finem? „
lacare obsecto & miserere
nei, & ne avertas faciem tuā à
ne, qui pro me redimendo fa- „
iē tuam non avertisti ab incre-
antibus & conspuētibus in te.
ateor quia peccavi, & consci- „
ntia mea meretur damnatio-
em, & pœnitentia non suffi-
it ad satisfactionem: sed cer- „
um est, quod misericordia tua
uperet omnem offensionem.
Noli quæso piissime Domine „
cribere adversum me amari-
udines meas, & non intres in
udicium cum servo tuo, sed „
ecundùm multitudinem mise-
ationum tuarum, dele iniqui-

tatem meam. - - - Ira omni
„ potentis non irruas super m
quia nunquam capi posses i
me. Certè non est in tot
„ me, quod posset tolerare t
Si ego commisi, unde me d
mnare potes: tu non amisisti
„ unde salvare soles. Tu Do
mine non vis mortem peccato
rum, nec lætaris in perditioni
„ morientium; immò ut mo
tui viverent, tu mortuus es, &
mors tua peccatorum morten
„ occidit: & si ipsi moriente t
vixerunt, obsecro te Domine
ut ego te vivente non moria
„ - - Ne memineris dulcissim
JESU tuæ justitiæ adversùs pe
catorem tuum, sed esto memo
„ benignitatis tuæ adversùs cre
aturam tuam. Ne memineri
iræ adversùs reum, sed memo
esto

esto miseratio
miserum.
Ecce Dom
supergressæ
& sicut onu
sunt super m
proprium est
& parcere, de
statis suppon
miserabiliter
Ecce insultat
micus meus,
reliquit eum
prehendam
est, qui eripi
ne usqueque
eripe anima
me fac prop
tuam. Mise
in dolore no
sti, & noli
meum, ut

esto miserationis tuæ adversus ,,
miserum.

Ecce Domine iniquitates meæ
supergressæ sunt caput meum, ,,
& sicut onus grave gravatæ
sunt super me; & nisi tu, cui
proprium est semper misereri ,,
& parcere, dexteram tuæ maje-
statis supponas, mergi cogor
miserabiliter in profundum. ,,
Ecce insultat adversum me ini-
micus meus, dicens: Deus de-
reliquit eum, persequar & cō- ,,
prehendam eum, quia non
est, qui eripiat. Et tu Domi-
ne usquequo? Convertere &
eripe animam meam, salvum ,,
me fac propter misericordiam
tuam. Miserere filio tuo, quē
in dolore non modico genui- ,,
sti, & noli attendere malum
meum, ut obliviscaris bonum

tuum. Quis Pater filium non liberet? Ergo Pater & Domine, licet peccator sim, non possum non esse filius tuus, quia tu me fecisti & refecisti. Nunquid oblivisci potest mater infantem uteri sui, & certè si illa oblita fuerit, tu Pater promisisti te non oblivisci. *Med. c.* 3.

O Deus Verbum, per quod facta snnt omnia, sine quo nihil. Væ mihi misero toties obcæcato, quia tu es lux, ego sine te. Væ mihi misero toties vulnerato, quia tu salus, & ego sine te. Væ mihi toties infatuato, quia tu es veritas, & ego sine te. Væ mihi misero toties aberrato, quia tu es via, & ego sine te. Væ mihi misero toties mortuo, quia tu es vita, & ego sine te. Væ mihi misero

toties

toties annihilato; quia tu es
Verbum, per quod facta sunt „
omnia, & ego sine te. *Sol. c. 4.*

O Deus meus, cùm sine te
fui, non fui, sed nihil fui, & i- „
deo cæcus eram, & surdus, &
insensibilis, quia nec bonum
discernebam, nec malum fugi- „
ebam, nec dolorem vulnerum
sentiebam, nec tenebras meas
videbam, quia eram sine te ve- „
ra luce, quæ illuminas omnem
hominem venientem in hunc
mundum. Væ mihi: vulnerave- „
runt me, & non dolui; traxe-
runt me, & non sensi, quia ni-
hil eram, quia sine vita eram,
quæ est Verbum, per quod fa- „
cta sunt omnia. Ideo Domi-
ne, lux mea, inimici mei de me
fecerunt, quæcunq; voluerunt, „
percusserunt, nudaverunt, pol-

luerunt, corruperunt, vulnerarunt, & occiderunt me; quia „ recessi à te, & factus sum nihil sine te. Heu Domine, vita mea qui fecisti me; lux mea, „ qui direxisti me; defensor vitæ meæ, resuscita me Domine Deus meus, spes mea, virtus mea, „ fortitudo mea, cōsolatio mea. &c. *Solil. c. 6.*

Serò te amavi Pulchritudo „ tam antiqua, & tam nova, serò te amavi. Tu intus eras, & ego foris: & ibi te quærebam, „ & in ista formosa, quæ fecisti, ego deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non e„ ram. Ea me tenebant longè à te, quæ esse non poterant, nisi in te. - - - Erat tempus „ quandò non cognoscebam te. Væ tempori illi, quando non cogno-

cognoscebam te. Væ cæcitati illi, quando non videbam te. Væ surditati illi, quando non audiebam te. *Solil. c. 31.*

Serò te cognovi lumen verum, serò te cognovi. Erat autem nubes magna & tenebrosa, ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non possem solem justitiæ, & lumen veritatis. Involvebar in tenebris filius tenebrarum, tenebras meas amabā, quia lumen non cognoscebam. Cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit, ubi eram homo cæcus, sedens in tenebris & umbra mortis? Quis accepit manum meam, ut inde me educeret? Quis est ille illuminator meus? Non enim eum quærebam

rebam, & ipse scivit me. Non vocabam eum, & ipse vocavit ,, me. Tu es Domine Deus meus, misericors & miserator, Pater misericordiarum, & Deus ,, totius consolationis. - - - Serò cognovi te veritas antiqua, serò te cognovi veritas æterna. ,, Tu eras in lumine, & ego in tenebris, & non cognoscebam te: ,, quia illuminari non poteram sine te, & non est lux extra te. ,, *Solil. c. 33.*

Ad Christum crucifixum.

Quid commisisti dulcissime JE- ,, SU, ut sic judicareris? Quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio ,, damnationis? Ego ego sum tui plaga doloris, tuæ causa occisionis. Ego tuæ mortis meri- ,, tum, tuæ vindictæ flagitium.

Ego

Ego tuæ paſsionis livor, tui cruciatûs labor. O mirabilis cenſuræ conditio! ô ineffabilis myſterii diſpoſitio! Peccat iniquus, & punitur juſtus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius. Quò nate Dei, quò tua deſcendit humilitas? quò tua flagravit charitas? quò proceſſit pietas? quò excrevit benignitas? quò tuus attigit amor? quò pervenit cōpaſsio? Ego enim iniquitatem egi; tu pœna mulctaris. Ego facinus admiſi; tu ultione plecteris. Ego crimen edidi, tu torturæ ſubjiceris. Ego ſuperbivi, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens exſtiti, tu obediens inobedientiæ ſcelus luis. Ego gulæ parui, tu inediâ afficeris.

ceris. Me ad illicitum concupiscentiæ rapuit ardor, te perfecta charitas duxit ad crucem. Ego præsumpsi vetitum, tu subiisti equuleum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor deliciis, tu laniaris clavis. *Med. c. 7.*

§ 8. *Actus Resignationis in Dei voluntatem.*

1. Adoranda Dei mei voluntas, amore tui, meam ego penitus abnego, exuo, & tibi in sacrificium immolo voluntatem. Nihil me volo velle, scire, ac posse, & facere, nisi quod tu vis: & si quid in me esset mi Deus tuæ con tradicens voluntati, vellem totum reduci in pulverem, ac in ventum proijci.

2. O Dignitas Divinæ volun-

tatis,

tatis, ô voluntas Divinæ dignitatis, meam ego tibi deſponſo voluntatem. Te proinde æſtimo, amo, & amplector ſupra omnia bona mea, tibiq; me unio indiſſolubiliter in æternum.

3. Mi Deus, volo eſſe ut jumētum apud te, quod nihil eligit, nihil diſcernit, ſed duci ſe ſinit ſive ſurſum, ſive deorſum; ſive dextrorſum; ſive ſiniſtrorſum; portatq; tam aurum, quàm plumbū, tam noctu, quàm interdiu.

4. Deus meus, tu es Dominus vitæ & necis: ego autem ſum ſicut vas figuli in manu tua: Tuo ergo altiſsimo Juri & Dominio, me totum ſubdo & ſubijcio in vita, morte, & æternitate. Fac de me, ſicut ſcis, vis, & potes, non ſolùm quoad vitam meā, & mortem, ſed etiam quoad menſuram gratiæ & gloriæ.

5. A-

5. Adoro, laudo, approbo, cum guſtu accepto omnia de me, circa me, & circa omnia mea, Domine decreta tua, tam in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ & gloriæ. Ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te.

6. Iſte eſt cibus meus, ut faciam Deus in omnibus tuam voluntatem. Hunc cibum unicè eſurio: hoc cibo ſuſtentari, nutriri, delectari, ſatiari appeto in æternum.

7. O Divina Providentia, quæ omnia diſponis ſvaviter, quandoquidem omnia tam proſpera quàm adverſa à te, & de manu tua, ad me veniunt, tranſeuntq; per dulciſsimum cor tuæ voluntatis, ego quoq; illa omnia, utpote ſic condita tuâ voluntate, libens accepto, & cum guſtu ſuſcipio, tanquam

non in seipsis, sed in altiori statu tuæ voluntatis spectata, tanquam tuos legatos, tanquam dona tua. Atq; ita tua voluntas mihi omnia amara dulcorat, omnia vilia deaurat· omnia sanctificat.

8. Confido tuæ Providentiæ mi Deus, atq; in tuum paternum sinum, omnem solicitudinem meã proijcio, ibiq; sepelio. Cùm enim sis sapientissimus, in tua dispositione non falleris; & cùm sis optimus non vis mihi male. Si cœcus fidit cani, vel puero se ducenti: cur ego non fidam tibi? Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Gloria magna sequi Dominum. Eccl. 22.

9 Omnipotentissima, sapientissima, benevolentissima Dei mei voluntas, quidquid vis, quomodo vis, quando, & ubi vis, ego volo

ideo

ideo quia tu vis. In me, de me, per me, circa me; circa omnia mea fiat voluntas tua mi Deus. Volo in omnibus amplecti, agere, & pati tuam voluntatem.

10. Domine hæc mihi sit summa consolatio tuæ voluntatis adimpletio. Dicebat S. Franciscus.

11. S. Pater Ignati, Pater in visceribus Christi amande, omnesq; Sancti Patroni mei, impetrate mihi, Divinæ voluntatis, in omnibus & agnoscendæ, & exequendæ facultatem. Ita scribebat S. Franciscus Xaverius ad S. Ignatium.

Ex Scriptura.

Domine vita est in voluntate tua. Psal. 29.

Holocaustum martyrii mei *pro peccato, Domine, non postulasti: tunc dixi: Ecce venio* ad mortem.

In

In capite libri decretorum tuorū *scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam* moriendo, *Deus meus volo, & legem tuam in medio cordis mei* repono. Psal. 39.

Nonne Deo subjecta erit anima mea? quoniam ab ipso salutare meum. Psal. 61.

Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. Psal. 30.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Ps. 142

Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. 1. Reg. 3.

Num Dei possumus resistere voluntati? Gen. 50.

Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere volūtati. Esth. 13.

Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Joan. 4.

Pater

Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Matt. 26.

Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Joan. 5.

Pater si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Luc. 22.

O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliã? Rom. 9.

Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Phil. 1.

Nemo sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Do-

mino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur. Rom. 14.

§ 9. *Actus Patientiæ.*

1. Domine, amplector, & gaudens suscipio de paterna manu tua, has omnes infirmitates, molestias, dolores, & tædia, ipsamq; mortem, tanquam hæc omnia à te immissa, & ab æterno ordinata in bonum gloriæ tuæ, & in bonum animæ meæ; tanquam munera tua, tanquam Reliquias S. Crucis Domini mei JESU Christi, tanquam guttas ex amaro ejus calice mihi propinatas.

2. *Placeo mihi in his infirmitatibus meis, in necessitatibus. in an-*

gustiis. 2. Cor. 12. In his omnibus *obmutesco, & non aperio os meum, quoniam tu fecisti.* Psal. 38: sed potius gaudeo quod justitia Divina exerceatur in corpus & animam meam.

3. Conjungo Domine dolores meos doloribus JESU Christi Domini mei, illosq; ejus manibus sanctificatos, sangvine aspersos, in vulneribus depositos, offero ad gustum & gloriam tuam, in satisfactionem pro peccatis meis, ad tuam voluntatem implendam.

4. JESU & MARIA amores mei dulcissimi patiar ego, moriar ego amore vestri, ut sim conformis imagini Filii Dei, pro me crucifixi.

5. Et quid sunt ista, quæ ego patior comparatione eorum, quæ pro me passus est in cruce Filius

Dei?

Dei? Quid ſunt comparatione eorum quæ pro Chriſto paſsi ſunt Sancti ejus Martyres? Quid comparatione pœnarũ æternarum inferni, quas promerui? Quid cõparatione præmii æterni in cœlo? *Hoc momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4.

6. Infernus domus mea eſt. Vivo eductus ex inferno ad pœnitentiam. Ergo, Domine, hîc ure, hîc ſeca, ut in æternum parcas. Auguſt.

7. *Domine pro his omnibus doloribus ſis benedictus in æternum. Ecce me ad patiendum ampliùs, & ampliùs, etiam per totam æternitatem, ſi tibi placet. Tantùm mihi ſerva angulum in cruce tua, IESV pro me crucifixe.* Ita dicebat P. Fran. Piccolomini S. I. Generalis.

8. Agno-

8. Agnosco Domine tuum in meam sanitatem, & in vitam supremum dominium; tuæ proinde dispositioni, tam sanitatem, quàm vitam meam plenè subijcio, & immolo.

9 Cedant mi Deus hæ amaritudines meæ ad gustum tuæ voluntatis.

10. *Aut pati, aut mori.* S. Teresia. *Pati, non mori.* S. Magdalena de Pazzis. *Domine ampliùs & ampliùs cruciari.* S. Franciscus Xaverius.

11. Salve Crux pretiosa & desiderabilis, in corpore Christi dedicata, ô infirmitas mea. Suscipe me discipulum ejus, qui in te pependit. Dicebat S. Andreas Apostolus.

12. Compendium perfectionis est in hac vita, pati amando, & amare

amare patiendo. Hæc eſt beatitudo viæ: hoc unum neceſſarium. Maria optimam partem elegit, ſtando juxta crucem. In hac vita non eſt tempus evellendi clavos in cruce: ergo moriar priùs in ea, & deinde veniet Mater Dei, ut me inde ſolvat. Dicebat P. Vincentius Carafa, S. I. Generalis.

13. *Domine auge dolorem, ſed auge patientiam.* B. Pius V.

14. *Concede mihi Domine, ut nulla tribulatione, anguſtiâ, & dolore à te recedam.* S. Franciſcus.

15. En ego Domine, ille ſervus debitor, reus pluſquam decem millium talentorum, procidens coram te, peto: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Mat. 8. Illam inquam patientiã mihi applica, quam habuit Chri-

ſtus in cruce: aut certè dona mihi in hoc morbo meam patientiam, quæ etiam tua eſt; *quoniam à te patientia mea:* Pſal. 61. imò, *tu es patientia mea Domine.* Pſ. 70

16. Andreas Oviedus Patriarcha Æthiopiæ è Soc. JESU dicebat: *Ecce me, Deus, ad omnem, ad omnem mi Deus eventum, jube mori, jube vivere, jube uri doloribus. Ecce ego mi Deus non recuſabo. Ego devota tibi victima sũ ad lanienam morbi mortiſq; omnem.*

17. Sacrifico mi Deus tuæ juſtitiæ iſtum morbũ, tædia, omneſque moleſtias ac mortem, ad exhibendam plenam pro peccatis ſatisfactionem.

Ex Scriptura

Circumdederunt me dolores mortis,

tis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me: dolores inferni circumdederunt me. præoccupaverũt me laquei mortis. In tribulatione mea invocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo, & exaudiet de templo ſancto ſuo vocem meam. Pſal. 17.

Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me: Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocabo, ô Domine libera animam meam. Pſal. 114.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſsitatibus meis erue me. Vide humilitatem meã, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea. Pſal. 24.

Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. Pſal. 62. Cur ergo Domine vitam appeto longiorem?

Dominus dedit, Dominus aufert ſanitatem, vitam: *ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Job 1.

Beatus homo qui corripitur à Domino: - - - quia ipſe vulnerat, & medetur; percutit & manus ejus ſanabunt. Job 5.

Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum. Pſal. 118.

Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Mich. 7.

Si bona de manu Dei ſuſcepimus, mala quare non ſuſcipiamus? Job 2

Omnia quæ feciſti mihi Domine, in vero judicio feciſti. Dan. 3.

Domine qui dixiſti: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras:* Luc. 21. da, ut in patientia poſsideam animam meam.

Si te Domine oportuit pati, & ita intrare in gloriam propriam. Luc.

24. cur

24. cur aliâ ad cœlum viâ ire velim?

Fac Domine, *ut hæc tribulatio mea patientiam operetur, patientia probationem, probatio autem spem, spes autem non me confundat.* Rom. 5.

Patientia nobis ô anima *necessaria est, ut reportemus promissiones.* Heb. 10.

Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem. Heb. 12

Patientia opus perfectum habet. Jac. 1. Fac Domine, ut meam infirmitatem perficiat.

Gaudeo in passionibus, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea. Colos. 1.

Repletus sum consolatione, su-

perabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 2. Cor. 7.

Communicantes Christi passionibus gaudeamus; ut in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes. 1. Pet. 4.

Ex S. Augustino.

Miserere Domine, miserere „ pie, miserere mei peccatori indigna agenti, & digna patienti. Si penso malum quod fe„ ci, non est tantum quod patior: gravius est, quod commisi, levius est quod tolero. Justus „ es Domine, & rectum judiciũ tuum. Omnia tua judicia justa sunt & vera. Justus & re„ ctus tu es Domine Deus noster, & non est iniquitas in te. ... Tu Domine qui exterius „ flagella irrogas, da semper indefi-

deficientem patientiam, ita ut laus tua non recedat de ore meo. *Med. c. 38.*

O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre: si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis ejus sociari: nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur. Insidientur ergo dæmones, frangant corpus jejunia, premant carnem vestimẽta, labores gravent, vigiliæ exsiccent, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis, ut requie-

ſcam in die tribulationis, & a-
„ ſcendam ad populum accinctũ
noſtrum. *Manual. c. 15.*

Similia dicebat S. Ignatius
„ *Martyr:* Ignis, crux, beſtiæ, cõ-
fractio oſsium, membrorum di-
viſio, & totius corporis contri-
„ tio, & tota tormenta diaboli
in me veniant, tantum ut Chri
ſto fruar,

§ 10. *Actus Oblationis ſui.*

2. Deus Trinus & unus: Pater, Fili, & Spiritus S. te ego creatura tua viliſsima recognoſco, & recipio in primum Principium & finem ultimum rerum omnium, atq; in hanc recognitionem, & in proteſtationem tui in vitam & necem meam dominii ſupremi, ac meæ omnimodæ ſubiectionis, me ego totum, meamq; ſanitatẽ,

ac vi-

ac vitam tibi dono, dedico, & in sacrificium immolo, Suscipe Domine universa, quæ mihi largitus es; amorem solum tui mihi, teq; ipsum dones, nec quidquam aliud posco, & dives sum satis.

2. JESU Redemptor mei, qui dilexisti me, & temetipsum tradidisti pro me: teipsum mihi donasti nascens in socium, convescens in edulium, moriens in pretium, & regnans, ut spero, donabis teipsum mihi in prœmium; ego vicissim me totum, meam sanitatem, meas vires ac potentias, vitamq; meam tibi offero, ac irrevocabiliter dono. Totus sum tuus mi IESU, eroq; in æternum, sicut tu totus meus esse voluisti. Utere me ad exaltandum te, ad deprimendum me.

Ex Scriptura.

O Domine, ego servus tuus, & filius Ancillæ tuæ, Matris tuæ. Ps. 115.

Deus meus volo *ut jumentum esse apud te, & ego semper tecum,* Psal. 72, ut sim victima tibi.

Domine propter te volo mortificari totâ die, & æstimari sicut ovis occisionis. Psal. 43.

Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, tunc dixi: Ecce venio ad mortem, *ut faciam Deus voluntatem tuam.* Hebr. 10.

Tuus sum ego, salvum me fac. Psal. 118.

Ex S. Augustino.

Scio Domine, quia ex hoc
P. 27 quod me fecisti, debeo tibi me-

ipsum

ipsum: & quia me redemisti, & pro me homo factus es, deberem tibi plusquam me, si haberem, quantò tu major es eo, pro quo dedisti teipsum. Ecce nec plus habeo, nec quod habeo dare tibi possum sine te: sed accipe me tu, & trahe me ad te, ut tuus sim imitatione, & dilectione, sicut tuus sum creatione & conditione. *Med. c. 39. fine.*

Tuum sit totum quod vivo Domine Deus meus, & totus totum me tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea tibi vivat, vita mea dulcis; quoniam totū me liberasti, ut totum me possideres; totum me refecisti, ut totum me rehaberes. Vivat jam non mihi, sed tibi tota vita

mea

mea, quæ perierat in miseria
„ mea, & resuscitata est in misericordia tua. *Solil. c. 18.*

„ Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. Et unde factum est, ut ejus sim & mortu-
„ us? quia pretio sui sangvinis redemit me & mortuus. Quomodo perdet servũ mortuum,
„ cujus mors est pretium meum? *In Psal.* 144

§ II. *Actus desiderii Gloriæ cœlestis.*

1. Summa ac infinita Pulchritudo Deus meus, ô Beata Trinitas, toto cordis mei affectu desidero te videre, & amare in cœlo, tuâq; bonitate & dulcedine frui in æternum: non tam ideo, quia id meum bonum est, quàm potiùs ideo, quia id tuum bonum

est.

est. Videlicet 1. quia hæc est voluntas dignitatis tuæ, & hæc est dignitas tuæ voluntatis. 2. ut ampliùs nunquam te offendam, sed potiùs ut magis te amem & glorificem in æternum. 3. quia es objectum dignissimum, quod videatur & ametur. 4. ut tu hoc modo gaudeas de mea salute, ac de tua creatione, & redemptione mei.

2. O centrum amoris mei, & meta cordium, ac finis omnium rerum, tædet me vivere extra te. Ad te unicè suspiro, te esurio, & sitio, ad te pervenire, in te quiescere, ardenter concupisco.

3. JESU Redemptor mei, qui es via, veritas, & vita: sis mihi via, sis ductor ad te, qui es vita æterna, & beatitudo mea.

Ex

Ex Scriptura.

Notas fac mihi Domine vias vitæ. Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo quando illum videbo, *delectationes in dextra tua usq; in finem.* Psal. 15.

Apparebo in conspectu tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua. Psal. 16.

Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, & videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus. Psal. 26.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram, ut illam videam. *Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à servo tuo.* Ibid.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscon-

disti timentibus te. - - Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, dum eam videbunt, *à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarũ.* Psal. 30.

Quæ est exspectatio mea, nonne Dominus? & substantia mea apud te est, nempe in humanitate Christi. Psal. 38.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam & apparebo ante faciem Dei! Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Psal. 4.

Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis Replebimur in bonis domûs tuæ

sanctum

ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate. Pſal. 64.

Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare: excita potentiam tuam, ut ſalvum me facias. Oſtende faciem tuam & ſalvus ero. Pſal. 79.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Pſal. 83.

Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. - - Melior eſt dies una *in atriis tuis ſuper millia.* Ibid.

Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei, ô Patria cœleſtis. - - *ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Pſal. 86.

Miſericordias Domini in æternū cantabo. Pſal. 88.

Beatus populus qui ſcit jubilationem

ionem in illa gloria cœlesti. *Domine in lumine vultus tui exultabunt tota die, & in justitia tua exaltabuntur; quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Psal. 88.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio justorum & congregatione. Psal. 110.

Convertere anima mea in requiem tuam in cœlis, *quia Dominus benefecit tibi. -- Placebo Domino in regione vivorum.* Psal. 114.

Dirumpe Domine vincula mea carnis meæ, *tibi sacrificabo hostiã laudis* in æternum. *Vota mea reddam in conspectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui* cœlestis *Ierusalem.* Psal. 115.

Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est: multùm incola fuit anima mea extra patriam meã. Psal. 119.

Dese-

Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi: defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando consolaberis me. Psal. 118.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Psal. 121.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo. -- In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad tẽplum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psal. 137.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me exspectant justi, donec retribuas mihi Psal. 141.

Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte hujus vitæ, *sed & spiritu meo in præcordiis meis mane,* initio diei æterni-

æternitatis, *vigilabo ad te.* Isa, 26.

Quis mihi det te fratrem meũ ô bone JESU, *sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te.* Cant. 8.

Dilectus meus JESUS, *candidus & rubicundus, electus ex millibus - - totus desiderabilis.* Cant. 5.

Surgam & circuibo civitatem cœlestem, *quæram quem diligit anima mea,* Deum meum. Can. 5.

Indica mihi ô JESU, *quem diligit anima mea, ubi cubes, ubi pascas in meridie* beatitudinis. Can. 1.

Trahe me post te, curram in odorem ungventorum tuorum. Ibid.

Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo. Phil. 1.

Salvatorem exspectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, Phil. 3.

Veni

Veni Domine IESV. Apoc. 22.

Ex S. Augustino.

Mater Jerusalem, civitas sancta Dei, charissima sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea. O quàm decora, quàm gloriosa, quàm generosa tu es! Tota pulchra es, & macula non est in te. - - - Felix anima mea, semperq; felix in sæcula, si intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuam, pulchritudinem tuam, portas & muros, & plateas tuas, & mansiones tuas multas, nobilissimos cives tuos, & fortissimum Regem tuum in decore suo. Muri namq; tui ex lapidibus pretiosis, portæ tuæ ex margaritis optimis, plateæ

tuæ

tuæ ex auro purissimo, in quibus jucundum Alleluia sine in- ,, termissione cōcinitur. - - Spetiosa facta es & svavis in deliciis tuis Mater Jerusalem. Nihil ,, in te tale, quale patimur, qualia in hac vità misera cernimus. Non sunt in te tenebræ, aut ,, nox, aut quælibet diversitas tēporum. Non lucet in te lux lucernæ, aut splendor lunæ, aut ,, jubar stellarum, sed Deus de Deo, lux de luce, Sol justitiæ illuminat te. Agnus candidus ,, & immaculatus, lucidum & pulcherrimum est lumen tuum. Sol tuus, & claritas tua, & o- ,, mne bonum tuum, hujus pulcherrimi Regis indeficiens contemplatio. Ipse Rex regum in ,, in medio tui, & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymnidici Ange-

Angelorum chori, ibi societas supernorum civium. Ibi dulcis solemnitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum providus chorus: Ibi duodennis Apostolorum numerus: Ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus: ibi Sãctorum Confessorum sacer cõventus &c. - - Felix ego, & verè in perpetuum felix, si post resolutionem hujus corporis audire meruero illa cantica cœlestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis supernæ patriæ civibus, beatorumq; spirituum agminibus. Fortunatus & ego, nimiumq; beatus, si ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo, Deo meo, & Duci meo,

& cernere eum in gloria sua.
Med. c. 25.

Dulcissime, amantissime, benignissime, charissime, pretiosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, quando te videbo? quando apparebo ante faciem tuam? quando satiabor de pulchritudine tua? Quãdo educes me de hoc carcere tenebroso, ut confitear nomini tuo, ut deinceps non compungar? Quando transibo in illam admirabilem, & pulcherrimam domum tuam, ubi personat vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis justorum? Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beati & verè beati quos elegisti & assumpsisti in illam cœlestem hereditatem. Ecce

Sancti

Sancti tui Domine florebunt „ ante te ſicut lilium. Replentur enim ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ „ potas eos, quoniam tu es fons vitæ, & in lumine tuo vident lumen, uſq; adeo ut ipſi lumē „ illuminatum, per te Deum illuminantem, ſicut ſol effulgeant in conſpectu tuo. O quàm „ mira, quàm pulchra, quàm acceptabilia ſunt domus tuæ habitacula Domine Deus virtu„ tum, concupiſcit in ea intrare peccatrix anima mea. Domine dilexi decorem domûs tuæ, „ locū habitationis gloriæ tuæ. Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in do„ mo Domini omnibus diebus vitæ meæ. - - Quando videbo Deum meum, quem ſitit a-

nima

anima mea? Quando videbo Deum in terra viventium? In ista enim terra morientium videri non potest mortalibus oculis. Quid faciam miser ego compedibus mortalitatis meæ constrictus? Quid faciam? dum sumus in corpore peregrinamur à Domino: non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus: noster autem municipatus in cœlis est. Quis dabit mihi pennas ut columbæ? & volabo, & requiescã. Nihil mihi tam dulce, quàm cum Domino meo esse. Mihi autem adhærere Deo bonum est, *Med. c. 37.*

Deus meus Creator meus, tolerator meus, nutritor meus, te sitio, te esurio, te desidero, ad te suspiro & concupisco, &

sicut pupillus benignissimi Patris orbatus præsentiâ, flens & ejulans incessanter ejus dilectã faciem toto corde amplectitur; sic ego quantum queo *tuam faciem* videre desidero. *Et post plura*: Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Renuit consolari anima mea, nisi de te dulcedo mea. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Te volo, te spero, te quæro. Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, ne avertas faciem tuam à me. Amator hominum benignissime, tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Mi advocate tutissi-

me

me miserere mei orphani derelicti; pupillus factus sum absq; patre: respice orbitatis meæ lacrymas, quas tibi offero, donec redeas. Eja jam Domine appare mihi, & consolatus ero. Revela gloriam tuam, & erit perfectum gaudium meum. Quando venies consolator meus! O si quando videbo gaudium meum, quod desidero! O si satiabor cùm apparueris gloria mea, quam desidero! O si inebriabor ab ubertate domûs tuæ, quam suspiro! O si potabis me torrenre voluptatis, quam sitio! Sint mihi interim Domine lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi: Ecce Deus tuus: donec dicatur animæ meæ; ecce sponsus tuus, *Med. c.* 41.

Ostende te mihi consolator
„ meus. Videam te lumen ocu-
lorũ meorum. Videã te gaudiũ
„ spiritûs mei. Videam te lætitia
cordis mei. Diligam te vita a-
nimæ meæ. Appare mihi dele-
„ ctatio mea magna, Solatium
meum dulce, Deus meus vita
mea, & gloria tota animæ
„ meæ. Inveniam te desiderium
cordis mei, teneam te amor a-
nimæ meæ. Amplectar te spõ-
„ se cœlestis. Possideam te bea-
titudo sempiterna, possideam
te in medio cordis mei vita
„ beata, dulcedo summa animæ
meæ. Diligam te Domine for-
titudo mea, Domine firmamẽ-
„ tum meum, & refugium me-
um, & liberator meus. Am-
plectar te bonum, sine quo ni-
„ hil bonum; fruar te optimum,
sine

ſine quo nihil optimum. O vita, cui omnia vivunt; vita, quæ das mihi vitam; vita, quæ es mea vita; vita per quam vivo, ſine qua morior: vita per quam reſuſcitor, ſine qua pereo: vita per quam gaudeo, ſine qua tribulor: vita vitalis, dulcis, & amabilis, ſemper memorialis, ubi quæſo es? ubi te inveniam? ut in me deficiam, & in te ſubſiſtam? Prope eſto in animo, prope eſto in corde, quia amore langveo; quia ſine te morior, quia te recolens ſuſcitor. - - Concupiſcit & deficit anima mea de memoria tua, quando veniam, & apparebo tibi lætitia mea? Quare faciem tuam avertis gaudium meum, per quod gaudeo?

ubi est absconditus pulcher, quem desidero? - - Cur faciem tuam abscondis? Fortè dicis: non videbit me homo, & vivet. Eja Domine moriar, ut te videam: videam, ut hîc moriar. Nolo vivere, volo mori: dissolvi cupio, & esse cum Christo: mori desidero, ut videam Christum: vivere renuo, ut vivam cum Christo. O Domine JESU accipe spiritum meum. Vita mea suscipe animam meam. Gaudium meum attrahe cor meum. *Solil. c.* 1.

Si Domine pro hoc corpore ignobili, & corruptibili, tam magna & innumerabilia beneficia præstas; qualia, quàm magna & innumerabilia sunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te, in illa cœlesti patria, ubi

ubi te videbimus facie ad faciem. Si tanta nobis facis in carcere, quanta ages in patria? Si tam innumera & varia sunt dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis & inimicis: quàm magna & innumerabilia, quàm dulcia & delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis? Si tanta solatia in hac valle lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet carcer, quanta continet patria? Oculus non vidit Deus abs te, quæ præparasti diligentibus te. Secundum enim magnam multitudinem munificentiæ tuæ, quàm abscōdisti timentibus te &c. *Solil. c. 21.*

Tu Domine exspectatio Israël, desiderium ad quod suspirat cor nostrum quotidiè, fe-

ſtina, ne tardaveris. Surge, propera, & veni, ut educas me de iſto carcere, ad confitendum nomini tuo, ut gloriemur in lumine tuo. Aperi aures tuas clamoribus lacrymarum pupillorum tuorum, qui clamant ad te: Pater noſter da nobis hodie panem noſtrum quotidianum, in cuius fortitudine ambulemus die ac nocte, uſquequò perveniamus ad montem ſanctum tuum Horeb. Et ego parvulus familiæ tuæ, Deus Pater & virtus mea, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Beatus ero, ſi fuero admiſſus ad videndum claritatem tuam. Quis mihi hoc tribuat, ut ad hoc pervenire permittas me? Scio Domine, ſcio, & confiteor, me eſſe indignum,

gnum, ut intrem ſub tectum tuum, ſed fac propter honorem tuum, & non confundas, in te, ſperantem ſervum tuum. *Solil. cap.* 23.

O fons vitæ vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terra deſerta, invia, & inaquoſa? ut videam virtutem tuam & gloriam tuam, & ſatiem ex aquis miſericordiæ tuæ ſitim meam. Sitio Domine, fons vitæ ſatia me. Sitio Domine, ſitio te Deum vivum. O quando Domine veniam, & apparebo ante faciem tuam! Putaſne videbo diem illam, diem inquā, jucunditatis & lætitiæ, diem quam fecit Dominus, ut lætemur & exultemus in ea? O dies præclara & pulchra, neſciens

vesperum, nec habens occasū,
„ in qua audiam vocem laudis,
vocem exultationis & confes-
„ sionis: in qua audiam: Intra in
gaudium Domini tui: intra in
gaudium sempiternum, in do-
„ mum Domini Dei tui. Intra
in gaudium sine tristitia, quod
continet æternam lætitiam: ubi
„ erit omne bonum, & non erit
aliquod malum. Ubi erit quid-
quid voles, & non erit quid-
„ quid noles: ubi erit vita vitalis,
dulcis & amabilis, semperque
memorialis. - - O gaudium su-
„ per gaudium, gaudium vincens
omne gaudium, extra quod nō
est gaudium, quando intrabo
„ in te, & videbo Deum meum,
qui habitat in te? Ibo illuc,
& videbo visionem hanc gran-
„ dem. Quid est, quod me de-
tinet

tinet? Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt. Heu ,, me, quamdiu dicetur mihi: ubi eſt Deus tuus? quamdiu dicetur mihi: Exſpecta, Reexſpecta. ,, Et nunc quæ eſt exſpectactatio mea, nonne Dominus ,, Deus meus. Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui reformabit ,, corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Exſpectamus Dominum ,, quando revertatur à nuptiis, ut inducat nos ad ſuas nuptias. Veni Domine & noli tardare. Veni Domine JESU, & viſita nos in pace; Veni & educ vinctos ,, de carcere, ut lætemur coram te corde perfecto. Veni ,, Salvator noſter. Veni deſideratus cunctis gentibus, oſtende

faciem

faciem tuam, & salvi erimus.
„ Veni lux mea, Redemptor me-
us, educ de carcere animam me-
am ad confitendum nomini
„ tuo. &c, &c. *Solil. c. 26.*

Da teipsum mihi Deus me-
us, redde te mihi. Tui amore
„ teneor, tui desiderio flagro,
tui dulci memoriâ delector. - -
- - Assumat spiritus meus pen-
„ nas ut aquilæ, volet, & non de-
ficiat, volet & perveniat ad de-
corem domûs tuæ, & thronum
„ gloriæ tuæ, & ibi super men-
sam refectionis civium super-
norum pascatur de occultis tu-
„ is, in loco pascuæ, juxta fluen-
ta plenissima. Tu esto exul-
tatio nostra, qui es spes nostra,
salus atq; redemptio. Tu esto
„ nostrum gaudium, qui es futu-
rus prœmium. *Man. c. 3.*

Vide alia, quæ suprà habentur c. 2.

§ 12. Petitiones morientis.

Deus meus miſericordia mea, miſerere mei, ſicut ſcis, vis, & potes. Domine omnia quæ mihi largitus es, tibi reſtituo; amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec ultra aliud poſco. S. Ignat.

Oro te Deus meus per omnes miſericordias tuas, da mihi finalem in gratia tua perſeverantiam.

Ex Pſalmis, & ex aliis Scripturæ locis.

Exurge Domine, ſalvum me fac Deus meus. Pſal. 2.

Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea,

-- *Convertere Domine & eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.* Psal. 6.

Domine deduc me in justitia tua, dirige in conspectu tuo ad cœlum, *viam meam.* Psal. 5.

Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac, ex omnibus persequentibus me, & libera me à tentationibus, *ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neq; qui salvum faciat,* præter te. Psal. 4.

Miserere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis. Exalta me de portis mortis, ut annuntiem laudationes tuas in portis, Sion cœlestis. Psal. 9. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperis.* -- *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Ibid.

Vsque-

Vsquequò Domine oblivisceris me in finem? usquequò avertis faciem tuam à me Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine Deus meus. Psal. 11.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus: Prævalui adversus eum. Ibid.

Perfice Domine gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. A resistentibus dextera tuæ custodi me ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum. Psal. 16.

Tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Psal. 17.

Deus præcinge me virtute, &

pone

pone viam meam ad cœlum *immaculatam. Perfice pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statue me. Doce manus meas ad prælium, & pone ut arcum æreum brachia mea. Da mihi protectionem salutis, & dextera tua suscipiat me.* Ibid.

Ad te levo animam meam Deus meus, in te confido non erubescam, neq; irrideant me inimici mei: etenim universi qui sustinent te, non confundentur. Psal. 24. *Vias tuas* ad cœlum *Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Salvator meus.* Ibid.

Respice in me & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego. -- Custodi animam meam, & erue me, à perditione, *non erubescam, quoniam speravi in te.* Ibid.

Ne

Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sangvinum vitam meam. Psal. 25.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui eripiat, nisi tu. Psal. 21.

Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice. Erue à framea tuæ vindictæ *Deus animam meam, & de manu canis* infernalis *unicam meam.* Ibid. *Absconde me in tabernaculo tuo, in die malorum protege me in abscondito tabernaculi tui,* cordis tui. Psal. 26.

Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neq; despicias me Deus salutaris meus. Ibid.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum ex-

tollo

tollo manus meas ad templum sanctum tuum, ad cœlum. *Ne simul trahas me cum peccatoribus* ad infernum, *& cum operantibus iniquitatem ne perdas me.* Psal. 27.

Domine educ ab inferno animã meam, salva me à descendentibus in lacum inferni, *quoniam ira in indignatione tua, & vita in voluntate tua.* Psal. 29.

Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descẽdo in cortuptionem? Ibid.

In te Domine speravi, non confundar in æternum, in justitia tua, non mea, *libera me.* - - *Esto mihi in Deum protectorem, & in locũ refugii, ut salvũ me facias. Quoniam fortitudo & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me* ad cœlum, *& enutries me.*

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis. Psal. 30. & 70.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor, conturbatus est in ira tua *oculus meus. Quoniam defecit in doloribus vita mea, & anni mei in gemitibus.* Psal. 30.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua. Domine non confundar, quoniam invocavi te. Ib.

Fiat misericordia tua Domine super me, quemadmodum speravi in te. Psal. 32.

Domine ne discedas à me: exurge & intende judicio meo, Deus meus, & Dominus meus in causam meam. Psal. 34.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est

mecum. Ne derelinquas me Domine Deus meus. Intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meæ. Psal. 37.

Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Psal. 50.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, ut sciam quid desit mihi. - - - Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Psal. 38. *Domine vim patior, responde pro me. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas. - - Remitte mihi* delicta mea *priusquam abeam, & amplius non ero.* ibid.

Exaudi Domine preces meas, &

duc me de lacu miseriæ, & de luto
fcis, & statue supra petram fidei
n Christum pedes meos, & dirige
ressus meos ad æternitatem. Ps.
9. Circumdederunt me mala,
uorum non est numerus: compre-
enderũt me iniquitates meæ, mul
iplicatæ sunt super capillos capitis
nei, & cor meum dereliquit me:
omplaceat tibi Domine, ut eripias
ne, Domine ad adjuvandum me
espice. Ibid.

Dominus opem ferat mihi super
ectum doloris mei. -- Domine
niserere mei, sana animam meam,
quia peccavi tibi. Psal. 40.

Exurge Domine, & ne repellas
in finem. -- Exurge Domine ad-
uva me, & redime me propter no-
men tuum. Psal. 43.

Exurgat Deus & dissipentur i-
nimici eius, & fugiant qui oderũt

eum

eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. Pſal. 67.

Salvum me fac Deus quoniam intraverunt aquæ uſq; ad animam meam. Exaudi me Domine quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Et ne avertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos tuos eripe me. Ibid.

Deus in adjutorium meum intẽde, Domine ad adjuvandum me feſtina; confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam.

Ego verò egenus & pauper sũ, Deus adjuva me. Adjutor & liberator meus es tu, Domine ne moreris. Pſal. 69.

Ne proijcias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Psal. 70. *Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice.* Ibid.

Ne tradas bestiis infernalibus, *animam confitentem tibi, & animam pauperis tui ne obliviscaris in finem.* Psal. 73.

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Ps. 83.

Converte me Deus salutaris noster, & averte iram tuam à me. Ostende mihi Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da mihi. Psal. 84.

Inclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego. Custodi animam meam: salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te. Ps. 85.

Domine Deus miserator & misericors

fericors, patiens & multæ miseri-cordiæ, & verax, respice in me, & miserere mei, da imperium regnũ cœlorum, *puero tuo, & salvum fac filium Ancillæ tuæ,* Matris tuæ, & Dominæ meæ. Ibid.

Domine Deus salutis meæ in die vitæ meæ, *clamavi ad te, & nocte* mortis meæ *coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam, quia repleta est malis* peccatorum *anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.* Psal. 87.

Domine non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psal. 142. *Notam fac mihi viam in qua ambulem* ad te: *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam,* vi-

venti-

entium. *Propter nomen tuũ Do-ine vivificabis me* vitâ æternâ, *æquitate tua.* Ibid.

Domine fac mecum propter no-en tuum, quia suavis est mise-icordia tua. Libera me quia e-enus & pauper ego sum, & cor me-m conturbatum est intra me. - - - Adjuva me Domine Deus me-s, salvum me fac secundùm mi-ericordiam tuam. Psal. 108.

Circumdederunt me dolores mor-s, & pericula inferni invenerunt me: - - ô Domine libera animam eam. Misericors Dominus & ustus, & Deus noster miseretur. sal. 114.

Dominus custodiat me, Dominus rotectio mea - - Dominus custo-iat me ab omni malo: Custodiat nimam meam Dominus: Domi-us custodiat introitum meum ad

vitam æternam, *& exitum meum* ex hac vita mortali, *ex hoc, nunc & usq; in sæculum.* Psal. 120.

Veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundùm eloquium tuum. Psal. 118. - - *Fiat misericordia tua secundùm eloquium tuum servo tuo.* Ibid. - - *Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam* vitâ æternâ, *& non confundas me ab exspectatione mea. Adjuva me & salvus ero* - - *Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam.* Ib. - - *Aspice in me, & miserere mei secundùm judicium diligentium nomen tuum.* - - *Gressus meos dirige* in vitam æternitatis, *secundùm eloquium tuum. Faciem tuam illumina super servum tuum.* Ibi. - - *Misericordiæ tuæ multæ Domine, secundùm judicium tuum vivifica me* vitâ æternâ.

Ad

Ad te levo oculos meos qui habitas in cœlis. Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum: ita oculi noſtri ad Dominū Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Pſal. 122.

Domine miſericordia tua in ſæculum: opera manuum tuarum ne deſpicias. Pſal. 137.

Domine Domine virtus ſalutis meæ, obumbra ſuper caput meum in die belli. Pſal. 139.

Pater ſalvifica me ex hac hora. Joan. 12.

Domine ſalva me, pereo. Mat. 8.

Pater venit hora, clarifica filiū tuum, ut Filius tuus clarificet te. - - Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum. Joan. 17.

Variæ petitiones ex S. Augustino.

Domine Deus meus da cordi
" meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniẽdo amare. *Med. c. 1.*
" Totis medullis cordis, toto usu mentis te rogo Omnipotens Pater cum dilectissimo Filio tuo, teq; dulcissima proles
" cum serenissimo invoco Paracleto, trahe me, quatenus post
" te curram in odorem ungventorum tuorum dulciter. *Med. cap. 4.*

Delinquentes servuli evadunt
" supplicia, dum pro eis intercedit dulcedo filiorum: Sic te Omnipotens Pater, per omnipotentis Filii charitatem postu-
" lo, educ è carcere ad confiten-

dum

dum nomini tuo animam me-
m: libera me a vinculis pec- ,,
atorum per coæternum uni-
um tibi natum, meq;, cui pro- ,,
ria merita lethalem minantur
ententiam, pretiosissimæ ad
dexteram tuam confidentis pro- ,,
s interpellatione, restaura ad
itam. *Med. c. 5.*

Deus immense, qui opera ,,
a extra circumdas, intra re-
les, supra tegis, & infra fers,
ustodi me quæso hîc & ubiq;, ,,
unc & semper, foris & intus,
upra & infra, circumcirca, ita
t in me nullus pateat locus in- ,,
diis inimicorum. Tu es De-
s omnipotens, custos & pro-
ector in te sperantium, sine
uo nemo est tutus, nemo de ,,
ericulis liberatus. *Med. c. 33.*

Christe Domine verbum Pa-

tris, rogo te per indulgentissi-
„ ma misericordiæ tuæ viscera
tolle de me, quod mihi nocet
„ & tibi displicet, & da quod no-
sti tibi placere & mihi prodesse.
„ - - Infunde obsecro multitudi-
nem dulcedinis pectori meo,
ut nihil terrenum, nihil carna-
„ le desiderem, vel cogitem, sed
solum te amem, te solum ha-
beam in corde & in ore meo.
„ Scribe in pectore meo dulcem
memoriam tui. Scribe in ta-
bulis cordis mei voluntatem
„ tuam, & justificationes tuas, ut
te, & præcepta tua semper &
ubiq; habeam præ oculis meis.
„ Succende mentem meam igne
illo tuo, quem misisti in terram,
„ & voluisti vehementer accen-
di. *Med. c. 36.*
Fons vitæ reple mentem meam

torren

torrente voluptatis tuæ: inebria cor meum ſobria ebrietate amoris tui, ut obliviſcar quæ vana ſunt & terrena, & ſolum habeam te jugiter in memoria mea. - - Animus meus, ſocius & amicus meus, fatigatus de via langvet, jacet, eſurit, & ſitit valdè; & non habeo quod ponam ante illum, quia pauper ſum & mendicus. Tu Domine Deus meus dives omniũ bonorum, & dapum ſupernæ ſatietatis opulentiſsime largitor, da laſſo cibum, collige diſperſum, reintegra ſciſſum. En ſtat ad oſtium & pulſat: obſecro per viſcera miſericordiæ tuæ, quibus viſitaſti nos oriens ex alto, aperi pulſanti miſero manum pietatis tuæ, & jube propitiabili dignatione, ut ingredi-

grediatur ad te, requieſcat in te, reficiatur de te vivo cœleſtiq; pane. *Med. c. 38.*

Exurge Domine Deus, fortis meus, & diſsipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua; & ego abſcondar in abſcondito faciei tuæ, & gaudeam cum filiis tuis, ſatiatus omnibus bonis tuis. *Sol. c. 12.*

Reſpice Domine & exaudi, & illumina me, & oſtende mihi teipſum. Reſtitue te mihi, ut bene ſit mihi, ſine quo tam male eſt mihi. Adjuva me obſecro Domine. Amaricatum eſt cor meum tui deſolatione: indulcora illud tuâ conſolatione. Eſuriens cœpi quærere te, ne deſinam impaſtus à te. Famelicus acceſsi, ne recedam impaſtus. Pauper veni ad di-

vitem

vitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuus & contemptus. Domine incurvatus sū, & non possum nisi deorsum aspicere: erige me, ut possim sursum videre. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, obvolverunt me, & sicut onus grave gravant me: evolve me, & exonera me, ne urgeat super me puteus os suum. Doce me quærere te, & ostende te quærenti te; quia nec quærere te possum, nisi tu doceas, nec invenire, nisi te ostēdas. *Man. c. 31.*

O immensa bonitas, quæ omnium intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quæ de tanta opulentia procedit. Influat in me, quæ profluit de te. Parce per clementi-

mentiam, ne ulciſcaris per juſtitiam. *Man. c.* 33.

CAPUT XVII.

Mors inter Brachia Chriſti Crucifixi.

Sicut Moyſes dicitur eſſe mortuus in oſculo Domini: ita juſtus qui ex fide Chriſti vivit, moritur in oſculo Domini, quia & ipſe moriens defert oſcula Chriſto crucifixo in ejus imagine, & Chriſtus crucifixus illum morientem, velut Pater Filium ad ſe redeuntem, amplectitur & oſculatur, aſſumitq; & portat ad illam beatam patriam, juxta ſuam promiſsionẽ, Joan. 14: *Iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.* Ergo optare debemus ut inter brachia hujus Patris amantiſsimi moriamur. Quæ

ſors

sors contigit P. Joanni Cardim S. I. Hic enim teste P. Nadasi, dum moribundus vulnera Crucifixi oscularetur, sacra illa effigies refixis manibus ac pedibus, se ultrò ita moribundo injecit, ut eum amplecti videretur; atq; ita illum exspiravit. Id verò est *mori in Domino*, ideoq; beatè mori.

Quod ut cum majori devotione fiat, proponam hîc aliqua exercitia, quæ moribundus usurpare potest, tenendo manibus, vel præ oculis habendo, imaginem Crucifixi.

§ 1. *Exercitium 1. per orationes ejaculatorias colloqui cum Christo crucifixo*, quales sunt:

JESU pro me crucifixe te adoro, te amo, sis benedictus in æternum, miserere mei sicut scis, vis, & potes.

JESU pro me moriens in cruce, per mortem tuam crudelissimam & ignominiosissimam, da mihi felicem mortem. Morti tuæ mortem meam unio, consecroq; morte tuâ. Mors tua, sit vita animæ meæ. Mortem meam tuæ morti conforma.

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus. Psal. 43.

Dominus meus & Deus meus. Io. 20. *Tu splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ ejus.* Heb. 1. *Tu candor lucis æternæ, & imago divinæ bonitatis.* Sap. 7. *Tu primogenitus mortuorũ, & Princeps regum terræ.* Apoc. 1. *Tu primogenitus omnis creaturæ. Tu es ante omnes, & omnia in te constant. Tu es caput corporis Ecclesiæ. In te complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare, & per te reconci-*

conciliare omnia. In te habemus redemptionem per sanguinem tuū, remissionem peccatorum. Coloss. 1. *In te Deus Pater benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus. In te elegit nos ante mūdi constitutionem, & essemus sancti & immaculati in conspectu ejus. Per te prædestinavit nos in adoptionem filiorum, secundum propositū voluntatis suæ. In te dilecto Filio suo gratificavit nos. In te instauravit omnia, quæ in cælis & in terra sunt.* Eph. 1. *In te sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ* Dei *absconditi.* Coloss. 2. *Hic est* Deus *meus, & glorificabo eum,* Deus *Patris mei, & exaltabo eum* Ex. 15. *Hic est qui expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans eos in semetipso.* Col. 2. *Hic Advo-*

catus noster apud Patrem, qui interpellat pro nobis. 1. Joan. 1. *Hic pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* 2. Cor. 5. *Hic dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. Ergo vicissim illum diligo, & animam meam pro ipso trado. *Hic factus est nobis à* Deo *justitia, sanctificatio & redemptio.* 1. Cor. 1. Ergo in illo tota ratio spei meæ.

Memento mei Domine, *quia jam venisti in regnum tuum.* Luc. 23.

JESU esto mihi JESUS & Salvator.

O bone JESU exaudi me, intra vulnera tua absconde me, & ne permittas me separari à te in æternum.

JESU pro me crucifixe, serva mihi angulum in cruce tua.

Inter

Inter brachia Dei mei, mei, mei, mori volo.

Latus Domini mei lanceâ apertum, esto mihi ostium ad vitam. Ita enim te vocat August. Tract. 120. in Ioan. Psal. 117. *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam* ad cœlum. *In hoc nidulo meo moriar*, in vulnere tuo, *& sicut Phœnix multiplicabo dies*. Job 29 *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*. Ita de vulneribus Christi Bonav. stim. p. 1. c. 1.

Domine in manibus tuis charactere vulnerum descripsisti me, lege hanc scripturam, & salva me, August.

Crux tua sit mihi scala ad cœlum: clavi tui sint claves. In baculo crucis tuæ volo transire Jordanem, terminum hujus vitæ.

Domi-

Domine tu dixisti: *Ego veni, ut oves meæ vitam habeant, & abundantiùs habeant*; fac, ut in me hæc tua voluntas impleatur.

Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus; tantus labor non sit cassus.

S. Gertrudis moriens dicebat: *Deus meus misericordia mea, absconde me in tuis manibus, in tuis pedibus, in hoc amantissimo corde. In te defigo mea desideria, mei gemitus ad te sunt, ad te mea suspiria, & omnis fiducia. Quando tecū ero gloria mea? quando dissolvetur hic laqueus mortis? Dilata misericordiam tuã erga magnã hanc peccatricem.*

S. Hieronymus. *O misericordissime IESV, spes mea, & fortitudo mea, assiste nunc mihi manu potenti, ut feliciter hunc passum mortis pertranseam. Aperi mihi*

Domi-

Domine portas vitæ &c. vide infra cap. 20.

Orationes ad Christum crucifixum ex S. Augustino.

Domine JESU Christe, Fili Dei vivi, qui in cruce expansis manibus, propter mortalium omnium redemptionem hausisti calicem passionis, mihi hodie præbere digneris auxilium. -- Domine miserere Filio tuo, quem in dolore non modico peperisti, & noli attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Pater & Domine licet peccator sum, non possum non esse filius tuus, quia tu me fecisti, & refecisti. -- Placare obsecro & miserere mei, & non avertas faciem tuam à me, qui pro me redimendo faciem tuam

tuam non avertiſti ab increpantibus & conſpuentibus in te. - - - - Ecce iam morior, & JESUS non eſt mecum, Certè melius eſt mihi non eſſe, quàm ſine JESU eſſe: melius eſt non vivere, quàm vivere ſine vita. - - Quid eſt JESUS, niſi Salvator? Ergo JESU per temetipſum exurge in adjutorium mihi, dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum. *Med. c. 39.*

Mi JESU rogo te, per illa ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, è quibus emanavit ille pretioſus ſangvis, quo ſumus redempti; vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo & potentiſsimo telo tuæ nimiæ charitatis. Tu

ſagitta

sagitta electa, & gladius potentissimus, qui durum scutum humani cordis penetrare tuâ ,, potentia vales, confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: charitate tua ,, vulnerata sum. *Med. c. 37.*

Aliæ devotæ orationes S. Augustini, de vulneribus Christi, habentur supra cap. 16. § 2. Qualis est illa:

Tuta & firma requies est in vulneribus Salvatoris, ex Man. c. 12 vide supra pag. 248.

Item illa: *Tota spes mea in morte Domini mei,* ex Man. c. 22 vide pag. 249.

Item illa: *Non possum terreri,* ex Man. c. 23. vide pag. 251.

O JESU mi, tu es Deus me- ,, us, vivus & verus, Pater meus

San-

Sanctus, Dominus meus pius, Rex meus magnus, Paſtor meus bonus, Magiſter meus unus, adjutor meus optimus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus vivus, Sacerdos meus in æternum, dux meus ad patriã, lux mea vera, dulcedo mea ſancta, via mea recta, ſapientia mea præclara, miſericordia mea magna, ſalus mea ſempiterna, vita mea æterna. Te deprecor, ſupplico & rogo, ut per te ambulem, ad te perveniam, in te requieſcam, qui es via, veritas, & vita, ſine quo nemo venit ad Patrem -- da mihi Deus meus te, redde mihi te in amore, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abſcondatur in abſcondito vultûs tui. *Med. c. 18.*

Audi ô Creator, creatura tua ſum, jam morior. Factura tua ſum, jam ad nihilum redigor. Plaſma tuum ſum: manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me: manus inquam, quæ clavis affixæ ſunt pro me: opus manuum tuarum Domine non deſpicias, vulnera manuum tuarũ precor ut aſpicias. Ecce in manibus tuis Domine deſcripſiſti me, lege ipſam ſcripturam & ſalva me. En ad te ſuſpiro creatura tua, Creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua; vita es, vivifica me. En ad te reſpiro tuum plaſma: plaſmator eſt, reſtaura me. *Solil. c. 2.*

§ 2. *Considerationes officiorum Christi crucifixi.*

1. JESU Redemptor mei, tu in hac cruce es Pater benignissimus, expansis ad amplexum brachiis, filium redeuntem exspectans. Ego sum ille prodigus filius, qui à te recessi in regionem longinquã dissimilitudinis, ibique dissipavi substantiam tuam, vivendo luxuriosè. Ad me reversus, ad te venio. Pater peccavi in cœlum, & coram te, non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unũ de mercenariis tuis. Amplectere redeuntem filium his brachiis tuis. Jube proferri stolam gloriæ, quâ indutus, cœlesti convivio tuo accumbam.

2. Tu es Pastor bonus, qui dimissis 99 ovibus in deserto, venisti

ſti ut ovem amiſſam quæreres. Ecce me ovem perditam. Erravi enim ſicut ovis, quæ periit: quære ſervum tuum, impone in humeros tuos in cruce extenſos, hanc ovem amiſſam, eamq; reduc ad cœlum.

Tu es Dominus meus: ego ſervus ille debitor, qui tibi debeo plus quam decem millia talenta; qui ſcilicet tot talentis tuis, tam in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ abuſus ſum. Cùm autem non habeam unde reddam debitũ: procido coram te, & rogo: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Patientiam inquam habe in me, non ſolùm meam, tribuens mihi patientiam in his morbi doloribus: *quoniam à te eſt patientia mea* Pſal. 216: ſed multò magis habe in me tuam

patientiam, applicando mihi merita infinita paſsionis tuæ, ad obtinendam remiſsionem peccatorum meorum; *& omnia reddam tibi:* major enim eſt dignitas meritorum tuorum, quàm meorum peccatorum malitia.

4. Tu es conſtitutus à Deo Judex vivorum & mortuorum, nunc es in hac cruce miſericors tanquam in throno gratiæ: accedo igitur reus tot delictorum, *cum fiducia ad hunc thronum, ut miſericordiam conſequar in tempore opportuno,* Herbr. 4. Juſtæ Judex ultionis, donum fac remiſsionis, ante diem rationis.

5. Tu in hac cruce es Sacerdos ſimul, & victima, qui teipſum Deo Patri, pro noſtris peccatis, in hâc ara, ſacrificium reconciliationis obtuliſti: offer hoc idem pro me propitiatorium ſacrificium. Tu

6. Tu per hæc vulnera aperta, es *ostium* ad cœlum, *per quod ostium, si quis introierit, ingredietur, & egredietur & pascua inveniet.* Joan. 10. O utinam per te ingrediar ad vitam beatam, & pascua inveniam animæ meæ.

7. Tu es *Via, Veritas, & Vita:* da ergo ut ad te ô vita, per te ô via, te duce ô veritas securus perveniam. Ita dicit August. in Ps. 60. *Salvator nos deduxit tanquã Dux, & in se ducit tanquam per viam, & ad se ducit tanquam ad patriam.*

8. Tu Mediator Dei & hominum: reconcilia me Deo offenso.

9. Tu Advocatus noster apud Patrem potentissimus: interpella pro me, ostensis hisce vulneribus quæ tibi amor generis humani inflixit; & exaudieris pro tua reverentia.

10. Tu es omnium bonorum Dei Thesaurarius, & Dispensator, quia *omnia dedit tibi Pater in manus.* Joan. 13. Ergo de his manibus perforatis, in me indignum, divitias misericordiæ tuæ, benignus effunde.

11. Tu es Clavis David, qui habes claves vitæ & mortis, *qui aperis & nemo claudit, claudis, & nemo aperit:* Apoc. 3. Aperi mihi januam vitæ æternæ, ut per eam ingressus, misericordias tuas cantem in æternum.

12. *Tu es* Deut. 32. *Aquila provocans pullos tuos ad volandum, & super eos volitans, & expandens alas tuas, ut assumas eos, portesq́ in humeris tuis:* sub umbra alarũ tuarum protege me, assume, & porta humeris tuis ad cœlum.

§ 3.

§ 3. *Horologium Passionis Domini.*

Hora sexta vespertina. Benedicta sit hora, in qua Domine JESU Christe, pedes discipulorum avisti, & in ultima cœna, Sacramentum Corporis ac sangvinis ui instituisti, nobisq; reliquisti. Pro hac dignatione, tibi gratias igo, per eamq; supplex rogo fructuosam in morte hujus Sacramẽti pro viatico sumptionem.

Hora septima. Benedicta hora, in qua Domine JESU sermonem de charitate fecisti. Pro eo te laudo & benedico, & supplex peto, ut in charitate Dei & proximi exspirem.

Hora octava. Benedicta hora, in qua Domine JESU fuisti in oratione prostratus, & in volunta-

tem Patris resignatus. Te laudo & benedico, miserere mei, & da mihi in morte perfectam resignationem in Dei Voluntatem.

Hora nona. Hæc est hora, in qua Domine JESU Christe in agonia positus, cœpisti tædere, pavere, & mæstus esse, sudoremq́; sangvineum effudisti. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has miserere mei, & conforta me gratiâ tua in meis lethalibus tristitiis, tædiis, ac sudoribus.

Hora decima. Hæc est hora, in qua Domine JESU fuisti osculo Proditoris traditus, à Judæis ligatus, à Discipulis derelictus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo, & benedico. Per has miserere mei, & da gratiam, ne te in morte deseram, nec ab hostibus animæ meæ capiar.

Hora undecima. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU fuiſti ductus ad Annam, ibiq; de doctrina examinatus, & alapâ percuſſus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has rogo miſerere mei, & mihi dimitte omnia oris mei peccata.

Hora 12. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU fuiſti ad Caipham ductus, ibiq; à falſis teſtibus accuſatus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has miſerere mei, & condona meas proximi obtrectationes.

Hora 1. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU fuiſti in faciem conſputus, oculis velatus, colaphis & alapis cæſus, corpus percutientibus, & genas vellentibus expoſitus. Has dignationes tibi

offero. Pro his te laudo & benedico. Per has te rogo miſerere mei, & condona meas, quas proximo intuli, injurias.

Hora 2. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU fuiſti à Petro negatus, eumq; reſpiciens ad lacrymas contritionis moviſti. Te laudo & benedico, petoque per hanc tuam afflictionem, ut me in fide vera conſerves, veramq; dones mihi contritionem.

Hora 3. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU fuiſti in carcere multis contumeliis & blaſphemiis affectus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has rogo miſerere mei, & da gratiam te cum Sanctis tuis glorificandi in æternum.

Hora 4 matutina. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU mane coacto

coacto concilio, à Caipha blaſphemus fuiſti pronuntiatus, & à concilio reus mortis acclamatus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has te rogo, dimitte mihi omnia mea judicia proximi temeraria.

Hora 5. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU fuiſti vinctus Pilato traditus, à Judæis in falſis criminibus accuſatus, miro ſilentio uſus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has te rogo, fac ut in hora mortis dæmon non inveniat, in quo me juſtè accuſet.

Hora 6. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU apud Herodem fuiſti ſpretus & illuſus, veſteque alba indutus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has miſerere mei,

& da, ut nunc tuis insignibus, olim stolâ gloriæ indui merear.

Hora 7. Hæc est hora, in quâ Domine JESU fuisti ad columnã alligatus, vestibus spoliatus, flagellis durissimè cæsus, toto corpore sangvine perfusus. Has tibi dignationes offero. Pro his te laudo & benedico. Per has te rogo miserere mei, & dimitte mihi carnis immortificatæ peccata.

Hora 8. Hæc est hora, in quâ Domine JESU fuisti iterum vestibus spoliatus, chlamyde coccineâ indutus, spinis coronatus, arundine tanquam sceptro insignitus, Rex Judæorum amaro ludibrio salutatus, in faciem consputus, alapis cæsus, arundine percussus Has omnes dignationes tibi offero. Pro his te adoro & benedico. Per has miserere mei, & da mi-

da mihi coronam perseverantiæ.

Hora 9. Hæc est hora, in qua Domine JESU fuisti magnis clamoribus populi ad crucem postulatus, Barabbæ latroni postpositus, ad crucem condemnatus. Has omnes dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has miserere mei, & in tuo judicio noli me condemnare.

Hora 10. Hæc est hora, in qua Domine JESU fuisti crucis pondere gravatus, & tanquam ovis ad occisionem ductus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has miserere mei, & da, ut vestigiis tuis insistã, & crucem patienter ferendo, ad ad te perveniam.

Hora 11. Hæc est hora, in qua Domine JESU fuisti in monte Calvariæ vino myrrhato potatus,

tertiò veſtibus ſpoliatus, & clavis per manus & pedes cruci affixus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has miſerere mei, & da ut tibi crucifixo conformis vivam, & moriar.

Hora 12. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU fuiſti in cruce elevatus, inter duos latrones poſitus, à prætereuntibus blaſphematus & deriſus, doloribus acerbiſsimis cruciatus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico, Per has miſerere mei, & ſicut promiſiſti, ſic exaltatus à terra trahe cor meum ad te.

Hora 1. *pomeridiana.* Hæc eſt hora, in qua Domine JESU pro inimicis tuis Patrem in cruce oraſti, & Latroni paradiſum donaſti. Pro hac dignatione te laudo, & benedico; per hanc te rogo miſere-

miſerere mei, & ora Patrem pro me crucifixore tuo, mihiq́; pejori Latrone, qui furatus ſum gloriam tuam, da paradiſum morienti.

Hora 2. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU Joannem Matri in filium tradidiſti, in qua te derelictum à Patre atteſtatus, & in ſiti felle & aceto potatus es. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has te rogo, ut moriar ſub tua, & tuæ Matris protectione, ac in ſiti Divinæ dulcedinis tuæ.

Hora 3. Hæc eſt hora, in qua Domine JESU omnia de te ſcripta conſummata teſtatus, ſpiritũ in manus Patris commẽdans, eum inclinato capite tradidiſti. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has miſerere mei, & da, ut ad te perfectè

fectè conversus spiritum meum tradam in manus tuas.

Hora 4. Hæc est hora, in qua Domine JESU lanceâ in corde es vulneratus. Pro hac dignatione te laudo & benedico. Per eam te rogo, ut anima mea toto corde te amans, per latus tuum apertũ, cœlum ingrediatur.

Hora 5. Hæc est hora, in qua Domine JESU fuisti de cruce depositus, & sepultus. Has dignationes tibi offero. Pro his te laudo & benedico. Per has miserere mei, & da animæ meæ requiem æternam post mortem meam.

§ 4. *Memoria vitæ & passionis Christi, per modum peregrinationis spiritualis.*

Cùm juxta S. Augustinum, anima non ambulet pedibus, sed affectu-

fectibus, sisto me affectu in domo Nazarethana, ibiq; te Verbum divinum, de coelo in terram descendens, pro me incarnatum, & in utero Virginis novem mensibus existens, saluto & adoro cultu latriæ. Pro hac dignatione te benedico. Miserere mei, & fac ut sicut tu Fili Dei in terram descendisti de coelis, & factus es filius hominis: ita ego per gratiam adoptionis vivam & moriat filius Dei, & de terra ad coelum ascendam.

Adsum in stabulo Bethlehemitico, ibiq; te Domine JESU de Virgine natum, fasciis involutũ, & in præsepio reclinatum, cum Angelis, pastoribus, & Regibus saluto, adoro, complector & benedico: miserere mei, & concede, ut sicut tu natus es ad hanc vitam

vitam miseram & mortalem: ita ego renascar moriendo ad vitam beatam & immortalem.

Adoro te & benedico in tua infantia, in circumcisione cruentatum, ac in templo per manus matris tuæ Deo præsentatum. Miserere mei, & concede, ut vitiis circumcisus, sangvine tuo ablutus, per manus pretiosissimæ Matris tuæ in templo gloriæ tuæ merear post mortem præsentari.

Sisto me in Domo Nazarethana, ibiq; te JESU humillimè veneror, gloriâ apud homines privatum, vilibusq; intentum laboribus, ac Mariæ & Joseph subditum. Pro his dignationibus sis benedictus, has tibi offero pro peccatis meæ superbiæ, & inobedientiæ.

Colloco me in deserto Iordanis,

ibiq;

ibiq; te Domine JESU baptiſatū, jejunio 40 dierum confectum, de tentationibus Dæmonis triumphantem, veneror & benedico. Miſerere mei, & per hoc tuum jejunium ignoſce intemperantiis meis: per tuam verò victoriā tentatoris, præſta ne in morte tan tationibus dæmonis ſuccumbam.

Siſto me in oppidis & pagis Gallilææ, ibiq; te Domine JESU prædicantem Evangelium, & pro mea ſalute laborantem, adoro & benedico, ti' iq; pro tua doctrina gratias ago: da ut eam fide credēdo, & obſervando, conſequar vitam æternam.

Siſto me in cœnaculo, ubi in ultima cœna Sacramentum Corporis & ſangvinis tui Domine JESU, & ſacerdotes inſtituiſti, te Deo Patri obtuliſti, ac nobis fruendum

& offe-

& offerendum reliquisti. Pro hac dignatione sis benedictus in æternum, & concede mihi fructuosam hujus Sacramenti, præsertim in morte, susceptionem.

Adsum in horto Gethsemani, ibiq; te bone JESU in agonia positum, tristem, paventem, sudore sangvineo manantem, in oratione prostratum, & ab Angelo cōfortatum adoro, & benedico pro his dignationibus tuis: per has rogo, esto solatium mihi in mea agonia, conjunge meas tunc tristitias, tædia, pavores, sudoremque tuo sudori, & tristitiis ac tædiis, atq; in illis me per Angelos sanctos confortare velis.

Ibidem te proditum, comprehensum, ligatum, & conculcatū veneror & complector, oroq; per has dignationes tuas, ut me à vin

culis

culis peccatorũ meorũ absolvas, amore tui constringas, & ne permittas me ligatis manibus ac pedibus projici in tenebras inferiores.

Præsento me in domo Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis, apud quos JESU innocentissime fuisti iniquissimè accusatus, traductus, spretus, illusus, condemnatus. Pro his dignationibus sis benedictus in æternum; per has te rogo, dum veneris judicare, noli me condemnare.

Consisto in foro Jerosolymitano ad columnam, ibiq; te Regem gloriæ alligatum, denudatum, & crudelissimè flagellatum, adoro, amo, & benedico. Per hanc dignationem te rogo, ut à me flagella æterna tuæ iracundiæ avertas.

Colloco me in atrio prætorii, ibiq; te Dominum meum spinis crude-

crudelissimè coronatum, illusum, adoro & benedico. Per has dignationes da mihi coronam justitiæ.

Sisto me in monte Calvariæ, ibiq; te Domine JESU sub cruce fatiscentem, eidem cruci affixum, inter atrocissimos trium horarum dolores, & ludibria hostium insultantium, morientem, adoro, amo, & benedico. Per has dignationes Domine miserere mei, & da finalem perseverantiam, mortemq; felicem.

Colloco me ad sepulchrum tuum, ibiq; Redemptor mi te tertia die à morte redivivum, adoro & benedico in æternum: præsta ut ego quoq; post mortem inter electos tuos resuscitatus respirem.

Sisto me in monte Oliveti, ibique te Rex gloriæ ad cœlum cum capti-

captiva captivitate ascendentem, & in dextera Patris collocatum adoro, amo, & benedico, oroque, ut animam meam post mortem ad te trahas in cœlum captivam.

§ 5. *Praxis applicandi sibi merita Christi.*

Dupliciter id fieri potest. 1mo induendo dignationes Christi patientis, juxta consilium Apostoli Rom. 13: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* 2do. abluendo animā in balneo sangvinis pro nobis in passione effusi ab illo, *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sangvine suo*, ut dicitur Apoc. 1.

Primus modus est talis. Agnosco Domine, & video paupertatē meam, quia *sum miser, & miserabilis, & pauper & nudus.* Apoc. 3, nihilq; mihi sum nisi *regio egesta-*

tis, ut dicit Auguſt. 3. Confeſſ. 10. Ad te proinde recurro, qui *dives es in omnes qui invocant nomen tuum* Rom. 10, & quod mihi deeſt uſurpo ex vulneribus tuis, tanquam ex meo theſauro. Atq; ita tuas dignationes & merita vitæ, paſsionis, & mortis tuæ, mihi unio & approprio, iiſq; me induo, & orno, ut gratus in conſpectu tuo compaream. Ita ſpero fore, ut Deus Pater, *ubi ſenſerit* in me indigno *veſtimentorum Filii ſui fragrantiam*, me pro filio ſuo recipiat, & amplectatur, & omni bonorum genere locupleret, ſicut olim Iſaac benedixit filium ſuum Jacob, veſtibus Eſau primogeniti indutum. Gen. 27. De illo enim dicit Apoſtolus Eph. 1. *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.*

Alter

Alter modus eſt talis. JESU pro nobis vulnerate, qui factus es nobis *Fons patens in ablutionem peccatoris*, Zachar 13, dignare quæſo, ut vulnera tua ſint balnea peccatricis animæ meæ, in quibus *mundetur ab omnibus inquinamẽtis carnis & ſpiritus.* 2. Cor. 7.

Immergo igitur animam meam in ſangvinem in ſudore tuo ſangvineo effuſum. In eo lava me ab iniquitate mea, & munda me ab omnibus meis in procuranda ſalute propria ac proximorum negligentiis, pro qua ſalute tu ad ſudorem uſq; ſangvineum laboraſti.

Immergo me in ſangvinem, in flagellatione tua effuſum. In eo lava me ab iniquitate mea, & munda me ab omnibus illicitis carnis meæ delectationibus, pro

quibus

quibus ex amore tui ſuper omnia doleo.

Immergo animam meam in ſangvinem, in tua ſpinea coronatione effuſum. In eo lava me ab iniquitate mea, & munda me ab omnibus ambitionibus & vanitatibus meis; pro quibus doleo ſuper omnia ex amore tui.

Immergo me in ſangvinem, in tua crucifixione effuſum. In eo lava me ab iniquitate mea, & munda me ab omnibus peccatis iræ, vindictæ, & impatientiæ, pro quibus doleo ſuper omnia propter te.

Immergo me in ſangvinem, in lateris tui apertione effuſum. In eo lava me ab iniquitate mea, & munda me ab omnibus peccatis odii, ac invidiæ, in corde meo inventis, pro quibus ſupra omnia doleo ex amore tui.

§ 6. *Oblatio meritorum Christi Patri æterno.*

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. *Hic est Filius tuus dilectus, in quo tibi bene complacuisti.* Matt. 17. *Hic est qui factus est à te nobis justitia, sanctificatio, & redemptio.* 1. Cor. 1. *Hic est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Joan. 2. Hunc ergo *qui dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis hostiam tibi in odorem suavitatis*, Eph. 5, offero tibi Pater æternæ pro peccatis meis. Offero *Caput* eius spinis cōpunctum cum ejus cogitationibus sanctissimis, pro meis cogitationibus impuris, blasphemis, suspiciosis, superbis &c. *Cor* ejus lanceâ transfixum cum ejus purissimis affectibus, pro cordis mei de-

ſideriis ambitioſis, impuris, pro odiis, invidiis, &c. *Manus* clavis perforatas cum operibus ejus Theandricis, pro meis vindictis, rapinis, &c. *Oculos* ejus modeſtiſsimos, livore & ſangvine ſuffuſos, pro meis aſpectibus curioſis, inverecundis. *Aures* ſpinis vulneratas, pro meis auditionibus detractionum, aſſentationum curioſitatum. *Vultum* ejus conſputum & alapis cæſum cum verbis ejus ſapientiſsimis, pro meis detractionibus, jactantiis, contumeliis, &c. *Os* felle & aceto imbutum, pro meis intemperantiis, & in victu indulgentiis.

Offero tibi benigniſsime Pater, ejus obedientiam uſq; ad mortē crucis, pro mea inobedientia. Ejus humilitatem pro mea ſuperbia. Ejus manſvetudinem pro mea

mea iracundia. Ejus patientiam pro mea impatientia. Offero ejus flagella, cruciatus, & vulnera pro meis voluptatibus. Ejus contemptus, postpositiones, derisiones pro meis vanitatibus. Ejus nuditatem, sitim, crucis duritiem, pro meis superfluis commoditatibus. Placare Domine his meritis Filii tui infinitis, mihiq; per bonitatem tuam infinitam dimitte mea peccata, tam quoad culpam, quam quoad pœnam.

Ex S. Augustino.

Omnipotens Pater, quem alium dirigam intercessorem tibi, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram tuam, interpellans pro nobis. Ecce Advocatus meus apud te Deum Patrē.

Ecce Pontifex ſummus, qui alieno non eget expiari ſangvine, quia proprio refulget perfuſus cruore. Ecce hoſtia ſancta, beneplacens & perfecta, in odorem ſvavitatis oblata & accepta. Ecce Agnus ſine macula, qui coram ſe tondentibus obmutuit, qui alapis cæſus, ſputis illitus, opprobriis affectus os ſuum non aperuit. En qui peccatum non fecit, & peccata noſtra pertulit, & lãgvores noſtros ſuo livore ſanavit. *Med. cap. 5.*

Aſpice pie Pater piiſsimum Filium, pro me tam impia paſsũ. Reſpice clementiſsime Rex, quis patitur, & reminiſcere benignus pro quo patitur. Nonne hic eſt Domine innocens ille, quem ut ſervum redimeres,

filium

filium tradidiſti? Nunquid non author vitæ hic eſt, qui ut ovis ad occiſionem ductus eſt, tibiq; uſq; ad mortem obediẽs factus, atrociſsimæ non timuit necis genus ſubire? -- Reduc Domine Deus meus oculos tuæ majeſtatis ſuper opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcẽ natum, toto corpore extenſum. Cerne manus innoxias pio manantes ſangvine, & remitte placatus ſcelera, quæ patrarunt manus meæ. Conſidera inerme latus, crudeli perfoſſum cuſpide, & renova me ſacro fonte, quem inde credo fluxiſſe. Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in via peccatorũ, ſed ſemper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis, & perfice greſſus meos in ſemitis

tuis, & fac me odio habere benignus vias iniquitatis. - - Aspice mitissime conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. - - Specta gloriose genitor gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea est substantia. Conspicare Dei Hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redēptoris supplicium, & redempti dimitte delictum. *Med. c. 6.*

Deus Pater Domini mei: attēde pius, quem genueris Filium, & quem redemeris servum. Aspice Factorem, & ne despicias facturam. Amplectere serenus Pastorem, & respice misericors allatam propriis humeris ovem. - - Ecce Domine mi Rex Deus omni-

us omnipotens, ecce Paſtor bonus refert tibi, quod ei commiſiſti. Ecce tuum tibi chariſſimus natus plaſma reconciliavit, quod à te procul deviavit. Reddit tuis conſpectibus ſervũ, quem ſua fecerat conſcientia fugitivum. -- Ecce ſpes mea, ecce tota fiducia mea. Si me, pro mea, ut dignum eſt, deſpicis iniquitate, reſpice me miſericors pro tuæ dilectæ ſobolis charitate. Attende in filio, quo propitieris ſervo. Quoties beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant obſecro ſcelera mea. Quoties rubet pretioſus pio de latere ſangvis, diluatur obſecro labes meæ pollutionis. Et quia caro te laceſsivit ad iram, caro te flectat, imploro, ad miſericordiam; ut ſicut caro

me seduxit ad culpam, caro me reducat ad veniam. - - - Jam lucis optime Creator, jam culpis ignosce meis, pro dilecti Filii tui laboribus immensis. Jam ejus quæso pietati mea impietas, ejus molestiæ mea perversitas, ejus mansvetudini mea donetur ferocitas. Jam ejus humilitas meam superbiam, patientia impatientiam, benignitas duritiam, obedientia inobedientiam, svavitas iram, charitas lucrifaciat crudelitatem. *Med. c. 8.*

Videri possunt ea quæ supra dicta sunt de Imagine Crucifixi infirmo exhibenda. cap. 11. §. 1. p. 119

CAPUT XVIII.

Mors in sinu Dei Matris.

Pretiosissima Dei-Hominis Mater, sicut Christo naturali Filio suo in cruce morienti, fideliter assistebat, eumq; de cruce depositum sinu suo excepit: ita filios suos adoptivos in morte non deserit, sed sinu suo materno morientes complectitur. Illa Carolo S. Brigittæ filio animam agenti adfuit, dæmonem è cubiculo morientis expulit, & animam mortui inter brachia sua recepit, ad judiciumq; Dei primùm, deinde ex purgatorio ad cœlum detulit, ut habetur in Revel. S. Brigittæ. Illa S. Arnulphum Svessionensem Episcopum moribundum, cum agmine SS. Virginum invisit, cer-

tioremq; fecit de vitæ futuræ felicitate. Illa Adulpho Franciscano morienti multorum Angelorum comitatu stipata adfuit, eumque trepidantem promissione gloriæ cœlestis confirmavit. Illa Marinum, fratrem S. Damiani in extremis constitutum invisit, qui proinde moriens dicebat: *Venit Regina mundi, hilaritatem vultûs mihi ostendit, benedixit, & abiit.* Idem ergo sibi polliceri debet fidelis cultor Deiparæ & amator, ac proinde in sinum, ulnasq; ejus morte instante, animam suam debet deponere. Nam de illa dicitur Eccl. 10. *In omni animo tuo accede ad illam; in novissimo enim habebis requiem in ea.* Ad quod juvare possunt sequentes devotiones.

§ 1. *Affectus pii erga B. Virginem.*

1. Mater Dei dignissima, ac mundi Domina, te ego vilissimũ tuum mancipium adoro cultu hyperduliæ profundissimo, propter tuam Maternitatem Dei, propter eximiam sanctitatem, & propter tuum in omnes creaturas Dominium, tibi à Deo communicatum.

2. In te spem omnem post Deum, de omnibus meis bonis temporalibus & æternis repono: quia es sapientissima, benignissima: quia es Mater misericordiæ & nostra Advocata efficacissima.

3. Te æstimo, amo, & amplector summè post Deum, propter summam post Deum tuam bonitatem & pulchritudinem tam naturalem, quàm supernaturalem;

& quia te ſummè inter creaturas amat SSS. Trinitas, vultq; à nobis amari. Si mille corda haberem, mille cordibus te amarem.

4. Gaudeo gratulorq; tibi de tua Immaculata conceptione, de tua Maternitate, de tua gratia & gloria pœne infinita, deq; omnibus tuis prærogativis, quibus omnes creaturas excedis.

5. Deſidero ardentiſſimè, ut à me, & ab omnibus creaturis rationalibus, glorificeris, & ameris ſummè poſt Deum, juxta tuam dignitatem, & juxta noſtram obligationem.

6. Millies agnoſco te & recipio in meam Matrem, Dominam, & heredem, meq; tibi trado & dedico in filium, in mancipium, & hereditatem, in vita, morte & æternitate.

7. Mater, peccavi in cœlum, & coram te: non ſum dignus vocari filius tuus; quia te toties cõtriſtavi, & gladium doloris cordi tuo infixi, dum fui cauſa paſſionis & mortis Filio tuo.

8. Sed quia tu es Mater miſericordiæ benigniſſima, non me deſeras nunc & in hora mortis meæ. Monſtra te eſſe Matrem, quamvis ego non monſtraverim me eſſe filium tuum. Aſſiſte mihi morienti, ſicut aſtitiſti Chriſto Filio tuo in cruce morienti. Mater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Mater Dei memento mei. MARIA! ſis propitia. Domina opitulare.

§ 2. *Invocationes B. Virginis ex ejus officiis.*

1. Pretioſiſſima Dei Mater & Virgo

Virgo, tu es Dispensatrix sangvinis & meritorum Christi: per bonitatem cordis tui te oro, obtestorq;, applica mihi hunc sangvinem, ad quem habes jus maternū, eoq; me ablue, & sanctifica. Indue me dignationibus & meritis Filii tui, sicut Rebecca induit Jacob vestibus fratris sui, quas apud se habebat, ut in oculis Dei Patris gratus appaream, ab eoq; obtineam benedictionem paternam & hereditatem.

2. Es generis humani Advocata: ergo repræsenta causam salutis meæ Christo Filio tuo, & impetra mihi remissionem peccatorum, ac finalem in gratia Dei perseverantiam. Eia Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad me converte, & JEsum benedictum fructum ventris tui mihi ostende.

3. *Mater agnitionis*, impetra mihi fidem firmam. *Mater sanctæ spei*, impetra mihi spem securam. *Mater pulchræ dilectionis*, impetra mihi charitatem Dei perfectam, ut moriar in charitate Dei, cum charitate, ex charitate.

4. Es Mediatrix nostra: ergo me peccatorem Deo offenso reconcilia. Nam peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanti Mater Filii.

5. Es omnium gratiarum causa de cōgruo meritoria: offer igitur pro me tua merita Deo, ad obtinendam mihi veniam, gratiā & gloriam. Offer tuam puritatem pro mea impuritate, tuam humilitatem pro mea superbia, tuam obedientiam pro mea inobedientia, tuam mansvetudinem, pro mea ferocia &c.

6. Es omnium Dei donorum Thesauraria, quia cùm sis Sponsa Spiritûs S, habes jus ad omnia ejus dona, & totum nos Deus voluit habere per te: aperi thesauros Divinæ bonitatis, & divitiis ejus dita pauperem animam meā.

7. Es Civitas refugii; ad te cōfugio reus mortis æternæ, protege me ab ira Dei Judicis ventura.

8. Es Heres mea, ego tua hereditas. Ad te igitur spectat defendere ab hostibus tuam hereditatem, conservare, ditare, gubernare.

9. Es Janua cœli: per tua merita & intercessionem, fac ut intrem in gaudium Domini mei. En sto ad hanc januam, & pulso: Domina, Domina aperi mihi. Tu enim dicis Prov. 8: *Beatus qui vigilat & observat ad postes ostii mei:*

mei: qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Fiat mihi ſecundum verbum tuum.

10. O Duxtrix noſtra ad cœlum, iter para tutum, ut videntes Jeſum ſemper collætemur.

11. O Turris fortiſſima, ſub tuum præſidium confugio, ab inſtantibus periculis libera me Virgo glorioſa & benedicta: Tu enim dicis Eccl. 24. *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis.*

Circumferuntur tres orationes S. Mechtildis pro impetranda felici morte.

1. Poſt 1, Ave Maria, *O Domina mea S. Maria, ſicut Deus Pater per omnipotentiam te potentiſſimam effecit: ita mihi adſis in hora mortis expellendo à me contrariam poteſtatem.*

2. Poſt

2. Post 2. Ave Maria. *O Domina mea S. Maria, sicut Filius Dei tanta te cognitione & claritate dignatus est, ut totum cœlum illumines: ita in hora mortis animã meam cognitione fidei sic illustres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantiâ pervertatur.*

3. Post 3 Ave Maria. *O Domina mea S. Maria, sicut Spiritus S. suum amorem plenè tibi infudit: ita in morte dulcedinem amoris Divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima.*

Oratio
quam P. Vincentius Carafa S. J. Generalis, quotidie 7 recitabat flexis genibus.

O Domina mea S. Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericor-

ericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam & corpus meum tibi commē-do: omnem spem & consolationem meam, omnes angustias & miseri-is meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam san-ctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundùm tu-am, tuiq́; Filij voluntatem. Amen.

§ 3. *Aliæ Invocationes B. Virginis in morte, per mysteria vitæ ipsius.*

Virgo & Mater Dei Immaculata, ſine labe originalis peccati concepta, per hanc tuam ſanctam conceptionem, impetra mihi, ut in ſangvine Agni Filii tui dealbatus, intrem regnum cœlorum, quò nihil coinquinatum intrare poteſt.

Virgo

Virgo & Mater Dei in primo inſtanti tuæ conceptionis confirmata in gratia, & reddita moraliter impeccabilis; per hanc tuam prærogativam impetra mihi, ne in morte gratiam Dei amittam per peccatum.

Virgo & Mater Dei gratioſiſſima, quæ in tua nativitate gaudiũ attuliſti univerſo mundo, affer mihi gaudium in his extremis meis tœdiis & triſtitiis.

Virgo & Mater Dei, trimula in templo præſentata: poſt obitũ meum præſenta me SSS. Trinitati in templo gloriæ Divinæ.

Puriſſima Virgo & Mater Dei, S. Joſeph deſponſata, impetra mihi, ut anima mea uſq; ad mortem ſit fidelis ſponſa Spiritûs S.

Excellentiſſima Virgo & Mater Dei, ab Angelo Gabriele ſalutata,

..tata, per hunc tuum honorem, ..c ut post mortem consortium Angelorum consequi merear.

Virgo & Mater Dei, quæ gratiâ plena Filium Dei concepisti, impetra mihi, ut gratiâ plenus in morte mea in amplexum Christi Filii tui veniam.

Virgo & Mater Dei, cum qua semper Dominus fuit, impetra mihi, ut mecum sit inseparabiliter in æternum.

Virgo & Mater Dei benedicta in mulieribus, impetra mihi, ut in die judicii à Filio tuo audire merear cum electis suis: Venite benedicti.

Eminentissima Virgo & Mater Dei, in quam, in Filii Dei incarnatione, Spiritus S. cum donis pæ..ê immensis supervenit, & virtus Altissimi obumbravit tibi; per hāc

excel-

excellentiam tuam, impetra mihi à Spiritu S. Sponso tuo, ut in me cum dono perseverantiæ finalis superveniat, mihiq; sua protectione obumbret, & ab hostibus meis me defendat.

Virgo & Mater Dei obedientissima, quæ Angelo nuntianti dixisti: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*; impetra mihi, ut in morte mea, in Dei voluntatem, tanquam ejus mancipium, sim plenè resignatus.

Clementissima Virgo & Mater Dei, quæ Elisabetham visitasti, & Joanni existenti in utero, tuis de congruo meritis sanctitatem obtinuisti: visita me in salutari tuo, in & cum Christo tuo, tuisq; meritis impetra mihi sanctam mortē.

Virgo & Mater Dei dulcissima, Deum tuo cantico magnificans, impe-

mpetra mihi, ut in hora mortis
nima mea magnificet Dominum,
& exultet ſpiritus meus in Deo ſa-
utari meo.

Virgo & Mater Dei admirabi-
is, quæ Filium Dei in carne ge-
nuiſti, pannis inuolviſti, & in præ-
ſepio reclinaſti: monſtra te mihi
eſſe Matrem in morte, ſuſcipe in
ulnas tuas maternas ſpiritum me-
um, eumq; repone in paradiſo.

Virgo & Mater Dei benigniſſi-
ma, quæ Chriſtum Filium tuum
natum Paſtoribus & Magis oſten
diſti, & amplectendum porrexiſti:
eumdem Jeſum benedictum fru-
ctum ventris tui, mihi poſt hoc e-
xilium oſtende, & trade comple-
ctendum in æternum.

Puriſſima Virgo & Mater Dei
n templo purificata, Filium tuum
Deo præſentans, & Simeonis in

ulnas

ulnas deponens: fac ut per te, Deo, purificatâ mente in hora mortis præsentari merear, utque Filium tuum in Sacramento suscipiens, affectu Simeonis dicam: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuū in pace.*

Virgo & Mater Dei providentissima, quæ Filium tuum amissū, post triduum in templo gaudens invenisti: effice tua solicitudine, ut me filium tuum toties perditū, in templo gloriæ cœlestis gaudens invenias.

Virgo & Mater Dei misericordissima, quæ in nuptiis, precibus tuis mutationem aquæ in vinum impetrasti; mihi quoq; impetra, ut aquæ contritionis lacrymarum mearum, in vinum lætitiæ perennis, in nuptiis cœlestibus commutentur.

Virgo

Virgo & Mater Dei, quæ ver-
pa Chriſti prædicantis audiviſti, &
:onſervaſti, conferens in corde
uo: impetra mihi, ut verba ipſius
per fidem firmam in corde meo
ıſq; ad mortem conſervem fide-
iter.

Virgo & Mater Dei dolentiſſi-
na, cujus animam in paſſione Fi-
ii tui, ſecundùm Simeonis pro-
hetiam, gladius doloris pertran-
ivit: per hos dolores tuos impe-
ra mihi in hora mortis ut cor me-
ım gladius doloris pro peccatis
neis, veræq; contritionis transfi-
gat.

Fideliſſima Virgo & Mater Dei,
quæ ſtabas juxta crucem Filii tui
norientis: aſſiſte mihi quoq; mo
ienti indigno filio tuo, fac me
unc cruce cuſtodiri, morte Chri
ti præmuniri, confoveri gratiâ,

Virgo & Mater Dei benignissima, Joannem in filium tuum sub cruce acceptans: agnosce me in morte filium tuum, qui te accipio in mea omnia post Deum bona, affectu Joannis.

Afflictissima Virgo & Mater Dei, quæ Christum mortuum deposuisti in monuměto: mihi quoque quando corpus morietur, fac, ut animæ donetur paradisi gloria.

Virgo & Mater Dei, prima Christum redivivum salutans & amplectens, fac ut sim dignus post mortem materno tuo amplexu.

Virgo & Mater Dei, de Christi Filii tui in cœlum ascensione exultans; fac ut de mea in cœlum ascensione gaudeas.

Dignissima Virgo & Mater Dei, die Pentecostes cum Apostolis Spiritu S. repleta: impetra mi-

hi, ut in me Spiritus S. in vita, morte, & æternitate per gratiam maneat.

Virgo & Mater Dei, in corona Apostolorum, & in complexu Christi Filii tui, sine dolore, vi amoris Divini exspirans: impetra mihi similem tuæ mortem.

Virgo & Mater Dei gloriosissima, inter plausus Angelorum ad cœlos assumpta, ibiq; à SSS. Trinitate supra omnes Angelos exaltata, & coronata, fac precibus tuis, ut te in cœlo cum omnibus Sanctis videam, laudem, amemq; in æternum.

Potentissima Regina & Domina mundi memento, quod *ideo ad regnum tuum veneris, ut in tali tempore mortis, nobis parareris propitia.* Ita ad Esther cap. 4. dicebat Mardochæus. *Recordare,*

quod stes in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bonum, & avertas indignationem ejus à nobis. Ita dicebat de se Jeremias cap. 18.

§ 4. *Orationes ad B. Virginem SS. PP.*

O Genitrix vitæ, tu es unica spes peccatorum, per te exspectamus veniam delictorum, in te nostrorum est exspectatio præmiorum. August. ser. 8. de Assump.

Sancta & immaculata Virgo, Dei genitrix Maria, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum. Idem Med. cap. 40.

Tantummodo velis ô Maria, & nequaquam salvi esse non poterimus. Greg. l. 2. Dial. 3.

Scio Domina quia benignissima es, & amas nos amore invincibili,

quos in te, & per te, Filius tuus & Deus summâ dilectione dilexit. Petr. Damian. ser 1. de Nat. V.

Ideo tu Mater prælecta es ab æterno, ut quem Deus per suam salvare non potest meritissimam justitiam: tu ô Virgo per tuam salvares pietatem & misericordiam. Chrysost. hom. de prærog. B. V.

O Virgo Sanctissima superne nos respice, esto propitia, & ad thronũ Iudicis adductos, in ea statione nos colloca, quæ est ad Filii tui dexterã S. Basil. orat. 39. de Annunt.

Omnipotens Deus sic te ô Virgo exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia donaverit. Ansel. de excel. V. c. 12. *Intende ô Domina pijssima, ut nobis ad effectum proveniat, propter quod Deus noster, ex tuo castissimo utero factus homo, inter homines venit.* Ibid.

Maria obsecro te per gratiam, quâ Dominus voluit esse tecum, fac misericordiam tuam mecum. Fac ut amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecum. Id. in medit.

In exitu animæ meæ de hoc mundo occurre illi Domina, & suscipe illam; consolare eam vultu sancto tuo, ne aspectu dæmonum conturbet eam. S. Bonav. psal. 113.

O Domina, Princeps, atq; Regina præstantissima sub tuum præsidium confugimus, sub alis pietatis tuæ protege & custodi nos. S. Ephr. de laud. V.

In manibus tuis ô benedicta, reposita est nostra salus. Recordare ô piissima miseriæ nostræ. Quem vis ipsa, salvus erit, & à quo avertis vultum tuũ, vadit in interitum S. Bonav. in psalt.

O Ma-

O Maria ô Sara nostra, dic obsecro quod sis soror nostra, ut propter te benè nobis sit à Deo, & ob gratiam tui vivant animæ nostræ in Deo. Idem 6. spec.

Custodi nos Domina, ne peccatorum laqueo capiamur: non dormiat neq; dormitet pupilla oculi tui, ut sic semper custodiâ protegamur. Idem ser. 120.

Aliæ Orationes ex SS. Patribus.

S. Anselmus moriens ita orabat: Prostratus ad pedes tuos jacet rebellis filius, qui tamen confidit in clementia tua materna. Onustus vinculis & compedibus vitæ prioris flecto genua coram immensa tua pietate. Peccata mea detego coram te, ut remedium afferas; & abscondo propter fœditatem,

ne offendam mundissimos oculos tuos. Exurunt me dolo-
,, re, & terrent pavore. Sana me Domina, ne feces corruptorum scelerum meorum causēt
,, in te, aut in Filio tuo nauseam. Mater sanctæ spei, venit Filius tuus salvare quod perierat; &
,, tu Domina obliviscêre peccatoris se humiliantis, & ad te cum maximo doloris sensu cla-
,, mantis? Quæsivit JESUS tuus errantem oviculam, quæ pœnitentiam abjecerat: & tu pote-
,, ris despicere eum, qui cum amaritudine cordis deflet sua errata? O Fili! ô Mater! Si
,, ambo injuria affecti estis, attamen in pectore vestro superest aliquid clementiæ pro eo, qui
,, confunditur propter scelera sua præterita. Misericordissime

JESU, parce ſervo Matris tuæ. Miſericordiſſima MARIA, parce mancipio Filii tui. Proijcio me in medium duarum tantarum miſericordiarum, ut non incidam in duas juſtitias rigidiſſimas. O bone Fili, ô bona Mater, non ſit irrita hæc confeſſio mea, non me confundat ſpes in vobis repoſita.

S. Ephrem apud Lipom. Tomo 2. ſic orabat: Virgo glorioſa & Domina mea, aſſiſte mihi in hac hora, per honorem, quem ut Mater habes, & per gladium doloris, qui pertranſivit viſcera pietatis tuæ, cum conſpexiſti manſvetiſſimum illum Agnum inter carnificum manus. Per exceſſivum dolorem, quem paſſi ſunt oculi iſti, pleni miſericordiâ, cùm videres

res tunicam JESU, plenam den-
» satis segmentis carnis & san-
gvinis; per solitudinem, jeju-
» nia, peregrinationes, persecuti-
ones & dolores, quos cor tu-
um sustinuit per 33 annos, qui-
» bus vixit Filius viscerum tuo-
rum: per lætitiam quam sensit
anima tua, cum illum ad pe-
» ctus lactabas, supplico Virgo
benedicta non dedignare sub-
venire huic indigno peccatori.
» Es Mater mansvetissimi & cle-
mentissimi Dei, ideo recipe me
clementissima & mitissima Do-
» mina, præsentando meas pre-
ces cum tuis, coram Filio tuo,
Domino meo, & observando,
» ne occludat mihi viscera pieta-
tis suæ. Protege me nunc &
semper ô dulcis Mater, obstru-
endo inimicis meis omnem a-

ditum, & defendendo in mortis tranſitu animam meam. Nō „
videant oculi mei in illa hora terribilem vultum dæmonum.
In tremendo die judicii univerſalis, audiam quod fueris Ad- „
vocata mea, & per preces tuas factus ſim heres.

CAPUT XIX.

Mors in manibus Angelorum & SS. Patronorum.

SIcut in periculis Rex David *levabat oculos ſuos ad montes, unde ſperabat venturum auxilium ſibi:* Pſal. 122: ita æger morti proximus, Angelum cuſtodem, alioſque Sanctos Tutelares, (quos in illo loco Pſalmi, S. Auguſtinus per mōtes intelligit,) invocare debet ab iiſq; auxilium ſperare. Nec certè illi deerunt; cùm & erga

 nos

nos nimiâ charitate flagrent, & ex charitate erga Deum magna, desiderent plurimos ad suam cœlestem societatem perduci, ut ita à pluribus secum Deus in æternũ glorificetur. Ideo Ecclesia eos in morte fidelium, Litaniis & illis verbis invitat: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi.* Quare quemadmodum in vita, ita & in morte, Dei jussu, *in manibus suis portant nos Angeli, ne offendamus ad lapidem, utq; conculcemus Draconem infernalem,* ut dicitur Psal. 90. In has ergo manus Angelorum & SS. Tutelarium moribundus animam suam deponat, ut iis post mortem deferatur ad cœlum.

Ad hoc autem obtinendum duo

duo juvare possunt: im est, habere delectos ex Sanctis aliquos Patronos mortis, eosq; in vita speciali cultu ad hunc finem venerari. P. Recupitus in suis Industriis præparandi se ad mortem, hos svadet eligendos. 1. S. Mariam Magdalenam ad impetrandam veram contritionem in morte. 2. S. Barbaram ad impetrandum viaticum. 3. S. Michaëlem Archãgelum ad impediendos assultus dæmonum. 4. S. Josephum, ad invocandum nomen JESU & MARIÆ. 5. S. Petrum ad impetrandã finalem perseverantiam, & ad cœlum aperiendum. Possunt alii addi pro cujusq; devotione.

Alterum est, habere paratas preces, quibus iidem SS. Tutelares tum certis temporibus ante mortem, tum in ipso mortis articulo,

cœlo, invocentur. Invocationes hujusmodi esse possunt.

Sancti Dei omnes assumite me ad vos. Estote Tutores & Protectores animæ meæ de corpore exeuntis. Estote custodes cordis mei, nunc & in hora mortis meæ.

Adeste mihi propitii in his meis angustiis Sancti Patroni mei. Ornate animam meam vestris meritis ac virtutibus, ut decora in conspectu Dei compareat. Ornate me vestrâ erga Deum charitate SS. Apostoli: vestrâ patientiâ Martyres; vestrâ humilitate Confessores; vestrâ SS. Virgines puritate.

Princeps militiæ cœlestis S. Michäël Archangele, esto memor mei, nunc & semper precare pro me Filium Dei. Defende me in hoc prælio, ut non peream in tremendo Dei judicio. Tu

Tu *Draconis qui dirum caput in ima pellis tartara;* repelle illum à me.

Tu qui es *Præpositus paradisi, quem Deus constituit Principem super omnes animas suscipiendas:* suscipe animam meam, & deduc eam ad paradisum exultationis.

Tu qui es Judex pro Christo surrogatus, quando in una bilance pones peccata mea, pone in altera Redemptoris mei merita, ut hæc præponderent.

Angele custos mei, me tibi commissum pietate superna, nunc custodi, rege, & guberna.

Præcede me, & custodi in via æternitatis, *& introduc in locum, quem Deus mihi paravit.* Exodi 23

O Tutor animæ meæ offer illam de corpore egredientem Creatori & Redemptori suo.

S. Io-

S. Ioseph Sponſe Virginis Matris integerrime, & Chriſti nutritie, *cuius extremam vigiles ad horam Chriſtus & Virgo ſimul aſtiterunt;* impetra mihi eandem gratiam.

Geſta animam meam in ulnis tuis, qui olim geſtaſti Chriſtum Dei Filium.

S. Petre Apoſtole, cœli Janitor, aperi mihi vitæ januam.

S. Ioannes dilecte Chriſti diſcipule, qui ſupra ejus pectus recubuiſti; impetra mihi, ut ſupra cor JESU, id eſt ſupra ejus voluntatem, requieſcam.

S. Andrea Apoſtole, quem crux à te dilecta, *tuo Magiſtro reddidit;* fac ut per hanc dolorum meorũ crucem, ad Chriſtum perveniam.

S. Thoma Apoſtole, effice tuis precibus, ut tuâ fide & amore

Chri-

Christum meum complectar, dicamq; *Dominus meus & Deus meus.*

S. Stephane, Protomartyr, qui moriens *vidisti cælum apertum, & Iesum stantem à dextris Dei*, impetra mihi, ut in morte cœlum mihi apertum, & Jesum propitium videam.

S. Laurenti, qui vivus in candente craticula assatus, per ignem *januas cæli ingredi meruisti*: tuis precibus libera me ab ignibus purgatorii, & fac me januas cœli ingredi.

S. Ambrosi, qui moriturus dicebas: *Mori non timeo, quia bonum Dominum habemus*; minue in me timorem mortis.

S. Augustine, qui moriturus Psalmos pœnitentiales recitabas: impetra mihi, ut cum vera pœnitentia ex hac vita decedam.

S. Mar-

S. Martine, qui moriens dæmonem adstantem, tanquam cruentam bestiam strenuè repulisti: mihi impetra ut assultus dæmonum vincam.

S. Nicolae, qui salvasti naufragantes: juva me, ne in portu æternitatis naufragium animæ subeam.

S. Casimire, Deiparæ amator & Encomiastes, impetra mihi, ut in amore pretiosissimæ Dei Matris exspirem.

S. Ignati gloriæ Divinæ zelator, & amator Dei, fac ut in actu amoris Dei moriar, Deumq; morte mea glorificem.

S. Francisce Xaveri, deduc me ad vitam æternam, qui multa centena millia hominum ad cœlum deduxisti.

B. Aloysi, qui teste de visu S. Magdalenâ de Pazzis, *magnam* glori-

gloriam habes in cælo, quia interius operabaris: fac tuis precibus, ut ad eandem gloriam, per actus internos virtutum perveniam.

B. Stanislae Kostka, cui ægrotanti Divina Mater, Jesum parvulum in sinum dedit & cui Angeli cum S. Barbara Sacram Eucharistiam attulerunt; impetra mihi, ut in JESU & MARIÆ præsentia, sacro viatico munitus, decedam.

S. Anna Deiparæ Mater, & Christi Avia, impetra mihi in morte tuæ Filiæ, nepotisq; favores.

S. Barbara V. & Martyr, impetra mihi in morte fructuosam SS. Sacramenti sumptionem.

S. Catharina, cujus corpus ab Angelis in monte Sinai collocatū est; fac ut anima mea ad montem sanctum Dei ab Angelis deportetur.

Postremò addam hîc S. Victoris Episcopi Uticensis orationē, „ qua sic invocat Sanctos *in Libris de persec. Vandal.* Miseremini mei Angeli Dei, ac- „ currite: nam vestri officii est assistere, & subvenire iis, qui cupiunt heredes fieri æternæ „ gloriæ. En ad ruinam vergit castrum, cujus vos castellanos & protectores constituit Deus. „ Succurrite, adjuvate, date vires pro transitu tam periculoso. Præsentate Domino gemitus „ meos & dolores; efficite ut acceptentur in satisfactionem pro peccatis angustiæ & timores „ præsentes. Orate pro me SS. Patriarchæ, quorū vita & mors fuit plena molestiis. Subvenite „ SS. Apostoli: nam cujuscunq; animæ interitus vobis erat acu-

leus gravissimus. Quomodo silebis ô gloriose S. Petre videns unam tuarum ovium sub ungvibus leonis? O S. Paule quas moras nectis, si nemo condemnabatur, quin cor tuum ureretur? O S. Joannes fili Virginis, quis dolor erit tuæ meæque Parentis, si audierit, à te, hunc ejus filium derelictum in adversis?

Aliæ invocationes ex S. Augustino.

Med. c. 140. S. Michael, S. Gabriel, S, Raphael, sancti chori Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumq; justorum, per illum qui vos e-

legit

legit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, ut pro me culpabili ſupplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua merear liberari.

Et Med. c. 24. Felices Sancti Dei omnes, qui jam tranſiiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſaturitatis, & pacis: ſecuri & tranquilli, ſemperq; gaudentes eſtis. Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſcibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, de cujus im-

mor-

mortalitate jam immortales fa-
cti eſtis, de cujus beatiſsima vi- „
ſione ſemper gaudetis, eſtote
jugiter memores noſtri, ſubve-
nite nobis miſeris, qui adhuc in „
ſalo huius vitæ circumſtantibus
agitamur procellis. Vos portæ
pulcherrimæ, quæ in magnam
ſurrexiſtis altitudinem, adiuva-
te nos vile pavimentum, longè „
inferiùs iacentes. Date manū,
& erigite iacentes ſuper pedes
ut convaleſcentes de infirmita-
te fortes efficiamur in bello.
Intercedite & orate conſtanter „
atq; indeficienter pro nobis mi-
ſeris multumq; negligentibus
peccatoribus, ut per veſtras o- „
rationes veſtro ſancto conſortio
coniungamur. - - Orate Do-
minum, orate piiſſimi, orate o- „
mnia agmina Sanctorum, & u-

niverſi

niversi cætus beatorũ, ut vestris precibus meritisq; adiuti, salva
„ nave, & integris mercibus pervenire mereamur ad portum
„ perpetuæ salutis, & quietis & continuæ pacis, & nunquam
„ finiendæ securitatis.

CAPUT XX.

Mors exemplis quorundam Sanctorum piè morientium illustrata.

Prima Idea morientium Christus moriens.

Sicut enim vita ipsius est nostræ vitæ exemplar perfectissimum: ita mortis nostræ Idea est mors ipsius, quam ideo suscepit ut mortem nostram suâ morte sanctificaret, nobisq; svavem redderet, utque in morte nostra eius morti nos studeremus conformare. Viden-

dendum ergo eſt, quomodo Chriſtus mortem ſubire dignatus eſt pro nobis.

1. Mortis ſuæ futuræ frequentem in vita memoriam habebat. Hinc dicebat de ſua morte. Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſq; dum perficiatur.* Hinc de ea frequens ſermo, non ſolùm in transfiguratione, loquendo de ſuo exceſſu cum Moyſe & Elia, ſed etiam cum diſcipulis, quibus prædicebat: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur, crucifigetur, &c.* Mat. 20. Mar. 10. Luc. 18. Quo exemplo docemur frequentem habere noſtræ mortis memoriam.

2. Ante mortem ſacrâ te refecit Euchariſtiâ in ultima cœna, ibiq; fecit liberaliſſimum teſtamẽtum, dum Eccleſiæ ſuæ ampliſſi-

mam legavit hereditatem, nempe corpus & ſangvinem ſuum animatum & deificatum, ſub ſpeciebus panis & vini, hoc modo nos filios ſuos ſtabiliens frumento & vino. In cruce autem moriens addidit codicillum, in quo Latroni paradiſum, Matrem Joanni, Matri corpus, ſpiritum Patri, Chriſtianis crucem legavit.

3. In horto Gethſemani, poſitus in agonia, inter ſumma tædia, pavorem, triſtitiam, ac ſudorem ſangvineum, contulit ſe ad longam orationem, & nuntium mortis ab Angelo accepit cum reſignatione ad voluntatem Patris omnimoda. Talem reſignationem nos quoq; habere, morte inſtante, debemus.

4. Moritur in duriſſimo crucis lecto, in æſtu ſolis, in ſiti maxima

nudus, ab omnibus fere dereli-ctus, in ſummis capitis compun-cti, totiuſq; corporis vulnerati do-loribus. Ut diſcamus in ſupremo morbo patientiam.

5. Moritur ignoſcendo inimi-cis ſuis, & pro iis orando; ut nos quoq; antequam Deo animam tanquam munus offeramus, prius reconciliemur fratribus noſtris.

6. Moritur *offerens Deo preces ſupplicationeſq; cum lacrymis & cla-more valido*. Hebr. 5. & Pſalmum 21 recitans: *Deus Deus meus, qua-re me dereliquiſti:* ut diſcamus mori inter preces ac orationes.

7. Moritur aſſiſtente ſibi B. Vir-gine Matre ſua, & S. Joanne Apo-ſtolo: ut procuremus, eandem B. Virginem, Sanctoſq; Patronos habere in morte Protectores.

8. Moriens clamat, *ſitio*, nem-

pe implere omnem Patris voluntatem in scripturis expressam: ut nos quoq; in morte sitiamus videre Deum, sitiamus Deum morte nostra glorificare, sitiamus dare gustum maximum Divinæ voluntati.

9. Moriens dicit: *Consummatum est*, quasi diceret Patri: *Opus quod dedisti mihi consummavi.* Joan. 17. id est tuam quoad omnia perfectissimè implevi voluntatem. In nostra morte verificabitur quidem: consummatum est tempus merendi, tempus utendi Sacramentis, indulgentiis; cõsummatus est numerus à Deo præfixus gratiarum, ac etiam peccatorum: sed eritne consummata virtus & sanctitas? eritné consummata Divinæ voluntatis adimpletio? eruntne consummata me-

rita ſecundùm eam menſuram, quàm Deus volebat, niſi ejus voluntati reſtitiſſem? Ergo offerã tunc Deo quomodocunque jam conſummatam vitam meam, ætatem, officia & actiones, uniendo hæc omnia conſummatiſſimis actionibus Chriſti Theandricis.

10. Chriſtus moriens, in manus Patris commendat ſpiritum, eumq; tradit, capite in ſignum reverentiæ filialis, & obedientiæ inclinato. Utinam ſic exſpirare liceat.

2da Idea morientium B. Virgo moriens.

Primò, Ut ex Angelo mortem ſuam vicinam intellexit, immenſâ repleta eſt lætitiâ, teſte Nicephoro; quia ad viſionem Filii ſui continuò flagrantiſſimè aſpirabat. Excita in te frequens Dei viden-

di desiderium, ut cum lætitia ad eum transeas per mortem.

2. Teste Alberto M. sine dolore corporis, sed præ amore mortua est. Primum non spera; alterum pete à Deo, ut nempe moriaris, si non præ magnitudine amoris, saltem ex intentione charitatis.

3. Teste S. Vincentio Ferrerio, obtinuit gratiam, ne dæmones videret in sua morte. Hoc ipsum pete à Deo, vel saltem victoriam de tentationibus dæmonum.

4. Cùm fuisset paupertatis observantissima, nihilq; habuisset nisi duas vestes, proxima morti eas testamento legavit duabus virginibus pauperibus, & per S. Joannem iisdem tradi curavit. Disce in pauperes misericordiam.

5. Teste S. Damasceno aderant eidem

eidem morienti Apoſtoli, miraculosè tunc ex toto mundo congregati. Utinam adſint mihi morienti SS. Tutelares mei.

6. Proxima morti refecta eſt ſacro viatico, vel manibus Chriſti, ut quidam putant; vel manibus S. Petri juxta alios. Imò putat Suarez, Caniſius & alii, quod ſuſceperit Sacramentum extremæ unctionis, non ad tollendas reliquias peccatorum, quæ nulla habuit, ſed ad augmentum gratiæ. De quo dictum eſt in Q.Q. de Admirab. Matre V. Deſidera, in extremis, affectu B. Virginis hæc Sacramenta ſuſcipere.

7. Obiit deniq; inter Angelorum cantantium agmina, & in præſentia Chriſti Filii ſui, hæc verba dicendo: *In manus tuas Fili commendo ſpiritum meum*: vel ut

alii volunt: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* O si sors similis mihi contingat!

3. S. Andreas Apostolus in cruce moriens.

Docet 1. optimam præparationem ad mortem esse frequentẽ communionem. Nam de seipso Ægeæ Proconsuli dixit: Ego, unico, omnipotenti, veroq; Deo, omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sangvinem, sed Agnum immaculatum.

Docet 2. patientiam in morte subeunda. Nam crucifigendus, ita crucem salutabat: Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & membrorum ejus margaritis ornata: Securus & gaudens venio ad te, ut & tu exultãs susci-

pias me, diſcipulum eius, qui pependit in te. O bona crux, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando jam concupiſcenti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit,

Docet 3 deſiderium moriendi propter Chriſtum videndum. Nam non ſolùm prohibebat populum tumultuantem contra Ægeam, ne impediret ſuam paſſionem; ſed etiam cum Proconſul, timendo populi ſeditionem, juſſiſſet illum de cruce deponi, id obtinuit S. Apoſtolus à Deo, ut lictores non potuerint illum de cruce doponere, exareſcientibus illorum brachiis. Nam ſublatâ voce ſic Dominum orabat: Ne

me permittas Domine JESU Christe famulum tuum de cruce solui, sed suscipe me tu mi Magister Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem videre desidero. Suscipe Domine JESU spiritum meum in pace, quia jam tempus est, ut veniam ad te, desiderans te videre. Sic effatum, ingens cœlo splendor instar radiorum defluens circumfulsit, eumq; ab adstantium oculis abscondit: quæ lux mediâ circiter horâ durans, simul ac evanuit, Apostolus spiritum exhalavit. *Vide Authores apud Ribaden.*

4. *S. Ioannes Apostolus & Evangelista.*

Mortem ejus sic describit Pater Petrus Ribadeneira. Cùm jam esset omninò senex nempe anno-

rum

rum plusquam 90, utpote qui post Ascensionem Domini annos 68 vixerit, multis annis & laboribus ac meritis, fundando Asiæ Ecclesias, cumulatus, ardentissimoque sui Magistri videndi desiderio accensus, ipso revelante didicit, se paulò post hinc evocandum; cumque de hoc suos discipulos admonuisset, & congruis tempori præceptis imbuisset, cum iisdem mõtem, in quo suas ad Deum preces effundere solebat, inscendit, jussitq; ibi fossam cavari, in qua suos artus componeret. Itaq; signo crucis armatus cùm dixisset: *Et tu mecum esto Christe*, circumstantes verò his verbis affatus esset: *Pax vobis fratres*, pallium in fossam primùm, dein & semetipsum demisit; mox ingenti splendore circumfusus, spiritum suo reddi-

dit Creatori. Non dubium, quin Christus in hac morte illustri, suo adfuerit dilecto discipulo, qui illi morienti in cruce adstitit. Adfuit & B. Virgo ipsi à Christo in Matrem data, quam ille ut filius usq; ad obitum ejus tantis affectibus & obsequiis, viginti & tribus post mortem Christi annis, coluit, secum etiam Ephesum ductam. Sunt qui putent hunc S. Apostolum, adhuc vivere in paradiso; nec moriturum, donec Christus ad judicium universale veniat, & eo tempore cum Elia & Enoch venturum contra Antichristum, idq; colligunt ex illis Domini verbis: *Sic eum volo manere donec veniam.* Sed hæc verba significant S. Joannem non subiturum fuisse, crucis supplicium, sed victurũ donec Christus veniret puniturus

Judæos, excidio Hierosolymæ, quod factum est. Non desunt etiam aliqui, inter quos est Beda & S. Thomas, qui dicant S. Joannem quoad corpus & animam cœlo receptum. Verùm communis est sententia mortuum esse modo explicato. Tam illustrem mortem, Christi & Virginis Matris præsentiâ ornatam tu quoque habebis, si cruci Christi fideliter constanterq; adstiteris, & B. Virginem tanquam Matrem filius colueris, eamq; in omnia tua post Deum bona acceperis. *Ribaden.*

5. Stephanus Protomartyr.

Imprimis dum necem illi pararent Judæi, *vidit cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, ut hac cœlesti visione corroboratus mortem crudelem

pro

pro Christo fortiter & cum gaudio subiret. In extremis morbi doloribus aspice cœlum, & Jesum, qui tibi parat coronam patientiæ, ut lætus moriaris.

Deinde cùm lapidaretur, morte instante ad orationem se contulit, dicendo: *Domine IESV suscipe spiritum meum.* Utinam ejus affectu idem dicam in morte.

Insuper positis genibus pro suis hostibus oravit: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Pro se stando oravit, pro inimicis, etiam genibus flexis, quasi magis de illorum salute solicitus; ut doceret nos sinceram injuriarum in morte condonationem.

Tandem *cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino.* *Obdormivit*, quia mors ejus adinstar svavis somni fuit. *Obdormivit in Domino*,

quia

quia ſeipſum obtulit in ſacrificium Deo, qui ſacrificia ſibi dicata, ſuis recipit manibus. Sic Deo juſti animam ſuam per mortem immolant, & ideo animæ illorum morientium in manibus Dei ſunt, & non tangit illos tormentum mortis, ſed in Domino obdormiunt. *Ex Actis Apoſt.*

6. *S. Ignatius Epiſcopus Martyr.*

Hic Sanctus Antiochenus Epiſcopus tertius, S. Joannis Evangeliſtæ diſcipulus, Deifer vocabatur, qualem ſe eſſe ipſe Trajano Imperatori profeſſus eſt, eò quòd Chriſtum menti ſuæ inſculptum circumferret, exhibet imprimis ingentem mortis & patiendi pro Chriſto amorem: nam Antiochiæ à Traiano damnatus, ut in amphitheatro Romano diſcerperetur à

Leoni-

Leonibus, cùm Romam duceretur, ſcripſit Epiſtolam ad Romanos, obnixè & ſolicitè petendo, ne mortem ſuam impedirent. Ubi inter alia hæc habet: *Metuo charitatem veſtram ne ipſa me lædat -- potius operam date, ut immoler Deo. Sinite me ferarum eſcā fieri, per quas licebit Deum adipiſci. Immo blanditiis potiùs demulcete feras, ut mihi ſepulchrum fiant, ut nihil de corpore meo relinquant &c. Quodſi venire noluerint, ego vim faciam ut devorer. Meliùs eſt mihi mori propter Ieſum, quàm imperare finibus terræ.*

Elucet item magnum deſiderium videndi Chriſtum, ejuſq; amor erga illum. Ita enim loquitur in præfata Epiſtola: *Dominum deſidero, Filium veri Dei, qui pro nobis mortuus eſt. Meus amor crucifixus*

cifixus est. Cum Christo crucifixus sum. Vivo autem non amplius ego, quandoquidem vivit in me Christus &c. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tormenta diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar. Frumentum sum Dei, dentibus ferarum molar, ut panis Dei efficiar. Quæ verba ultima repetiit incredibili fidei ardore succensus, cùm terribiles Leonum rugitus in amphitheatro audisset, teste S. Hieronymo. Et hæc elocutum Leones discerpsere, ossa tantùm intacta reliquerunt. Post mortem in ejus corde repertum est nomen JESU literis aureis exaratum, teste S. Antonino.

Z. S.

7. *S. Augustinus Hipponensis Episcopus & Ecclesiæ Doctor.*

Cùm esset annorum 72, senio & laboribus ac studiis fatigatus, abdicatis Episcopalibus curis, reliquos 4 vitæ annos precibus ac meditationibus impendit, ardentissimè aspirando ad visionem Dei, quod testatus est in suis Meditationibus & Soliloquiis, locis supra citatis cap. 16. § 11.

Interim Vandalis Hipponem, toto trimestri obsidentibus, Vir sanctus febri acutissima correptus, mortem sibi sentiens adesse, septem Psalmos pœnitentiales describi, & ad proximum lecto parietem affigi curavit, vetuitq; quempiam se convenire præter medicos, & alios obsequio suo necessarios; quod duodecim extremis diebus

diebus obſervatum eſt. Ipſe verò cum magna pietate & lacrymarum copia Pſalmos legens, ſuſceptis Sacramentis, ac benedictione ſuis filiis lacrymantibus, datâ, animam ſuo Creatori reddidit, dicere ſolitus: poſt perceptum baptiſmum, etiam laudatos Chriſtianos & Sacerdotes, abſq; digna & cõpetenti pœnitentia exire de corpore non debere. *Poſſidon.*

8. *S. Hieronymus Confeſſor, & Eccleſiæ Doctor.*

Toto vitæ ſuæ tempore, continua eius ad mortem præparatio, elucet ex illo ipſius dicto: *ſive comedo, ſive bibo, ſive aliud aliquid facio, ſemper videtur tuba illa terribilis ſonare in auribus meis: ſurgite mortui ad judicium.* Fractus laboribus, pœnitentiæ operibus, & ſtu-

& ſtudiis, jam nonagenario major, cum præ debilitate, neq; ſe lecto commovere poſſet, niſi pen ſilis funiculi adminiculo, in febrim incidit, jamq; morti proximus, voluit ſacco indui, & humi proſtratus, lacrymaſque fundens, ac pectus tundens, cum ſumma pœnitentia, ac demiſſione, viaticum ſumpſit, ita Chriſtum in Sacramento affatus, ut refert Euſebius, teſtis de viſu: *Domine quis ego ſum, ut intres ſub tectum meum? Quomodo ſic nunc te demittis, ut viſites pauperem, publicanum, & peccatorem? Satis tibi non eſt mecum cibum ſumere, ſed inſuper præcipis, ut te comedam? Quam benè proſpectum eſt errabundæ ovi, cum teneat intra ſe Paſtorem ſuũ. Non timeo inferni miniſtros, neq; monſtra abyſſi; nunquam me meus,*

dulcis

dulcis Paſtor deſeret, poſtquam viſcera mea ſubivit. Retinebo eum mecum, nec elongabit ſe à me. Tu es Deus meus & Paſtor meus. Non timebo mala, dum tu mecum es, etiamſi mors ſtet contra faciem meam. Vide ô IESV, ego ſum æger, tu Medicus, ſana me. Ego nudus, tu Dives, contege me. Ego morior fame in ſolitudine, tu qui cibus es, paſce me. Ego patior ſitim, tu qui nectar es cœlicum, refrigera me. Libera me de tot laqueis defenſor meus, Gubernator, Cuſtos, Dux, Rex, & Deus meus, in cujus manus commendo ſpiritum meum, quē redemiſti in ligno crucis, & propter quem diſtendis, & dilatas miſericordias. Idem Euſeb. refert, quod horâ mortis crucifixum tenens, ſic eum ſanctus vir precabatur: *O miſericordiſſime IESV, ſpes*

mea,

mea, & fortitudo mea, in quem credo, quem spero, amo, & amabo semper. Aperi mihi Domine portas vitæ. Aspice me ut latronem, cui ex ligno redemptionis bene fecisti. Admitte me ut Matthæum, Magdalenam, & facinorosissimos admisisti. Quid lucrabere Domine, si in ignem æternum conijcias hanc paleam ardoribus & infirmitatibus exsiccatam? Tuus est honor remittere peccata, & eripere ex luto jacentes. Fieri non potest, ut Deus meus me à te repellas, sum caro de carne tua, & os de ossibus tuis, & filius eiusdem Patris, & me fratrem tuum in Evangelio nominas. Eia surge frater mi, nam suscepisti meam humanitatem, ut mihi dares Divinitatem. Adest hora quam quæsisti, libera à Leonibus hanc animam meam, quam

tanto cum amore quæsisti. Hic aspice vulneratum ex itinere Ierichuntino, cura eum, & pone super divinos tuos humeros. Bone IESV, sanguis ex his venis profluxit, ut ego me illo redimerem: illū oppono, ut mihi non inferas meritam pœnam æternæ damnationis. Ego sum illa merces, tanto pretio empta. Ego sum illa ovis perdita, reduc eam ô dulcis Pastor, & pone in ovili tuo.

9. *S. Ioannes Chrysostomus, Constantinopol. Patriarcha, & Confessor, Eccl. Doctor.*

Pulsus in exilium ab Arcadio, & Eudoxia Imperatoribus orientis, ob incredibiles itineris incommoditates & ærumnas, in febrim incidit, quam dolores summi ac tormina consecuta, sanctum virū

morti

morti proximè admoverunt. In hoc morbo cum medici, & alimenta deficerent, Sancti Apostoli Petrus & Joannes eum invisèrunt, cœlestemq; annonam detulerunt, quâ refectus, nullo deinceps corporis alimento indiguit. Prosecutus iter, ad sepulchtum S. Basilisci Episcopi & Martyris pervenit, qui se visibilem Chrysostomo obtulit, dicendo: *Macte animo, Frater Ioannes; crastina lux nos loco sociabit:* quibus is verbis consolatus, perceptoq; Eucharistiæ Sacramento, cruce seipsum signans, & quidquid vestium & tenuis ærarii sibi relictum fuit, pauperibus cum donasset, ad beatam migravit æternitatem. *Metaph. Niceph. & alii.*

10. *S. Thomas de Aquino Confessor & Eccles. Doctor.*

Mortem suam brevi futuram divinitùs præscivit, & Fr. Reginaldo prædixit. Immò cùm ad Concilium Lugdunense evocatus à Gregorio X pergens, propter recrudescentem morbum, ad monasterium Fossæ novæ divertisset, in ipso limine monasterii intellexit horam sibi mortis imminere, dixitque: *Hæc requies mea in sæculum sæculi.* Ibi æger, ad Fratrum instantiam, cantica cāticorum exponens, cùm mortem proximam sibi persentisceret, SS. Eucharistiæ Sacramentum sibi adferri petiit. Quod ille humi prostratus adoravit, dicendo: *Ego sincero corde credo, & certum habeo, quod in Sacramento sit IESVS*

Chri-

Christus verus Deus & homo. In ipso invenio, & ab ipso recipio pretium meæ redemptionis, ab ipso viaticum & auxilium superabundãs pro itinere tam longo. Atq; ita fixis in cœlum oculis, sublatisque manibus, sereno vultu, ex hac vita decessit, annos natus 50. Ante ejus mortem tribus noctibus stella inusitati splendoris supra monasterium fulsit, quæ post mortem ipsius evanuit. *Ribaden.*

II. *S. Bonaventura Cardinalis & Episcopus Albanensis, Eccles. Doctor.*

Præparatio ejus ad mortem fuit, habitare in vulneribus Salvatoris. Ita enim de se narrat stim. p. 1. c. 1. *O quàm beata lancea, quæ aperturam lateris facere meruit. Hæc requies mea in sæcu-*

lum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. O amantiſſima vulnera Domini mei IESV Chriſti: cùm in illa quodam die oculis ſubintrarem apertis, ipſi oculi ſanguine ſunt repleti, ſicq́ nihil aliud vidẽs, cœpi ingredi manu palpans, donec pervenirem ad interna viſcera charitatis IESV, quibus undiq́ circũplexus redire neſcivi, ideoq́ inibi inhabito, & quibus veſcitur cibis, veſcor, & potu illius inebrior. Ibi tantâ abundo dulcedine, ut tibi nõ valeam enarrare. Ad mortem cùm æger ob ſtomachi debilitatem Sacramento corporis Chriſti refici non poſſet, refert Lucas Wadingus, quod petiit illud in pyxide pectori ſuo apponi; quod ubi factum, ecce moribundo latus inſtar roſæ aperitur, & ſacra hoſtia è pyxide egreſſa illud intra-

vit, ut Dominus cordi ejus jungeretur, cujus cor in vita cum Christo semper unitum fuit. Mortuus est anno ætatis 50, in Concilio Lugdunensi, ubi ejus exequias Gregorius X suâ præsentiâ honestavit.

12. *S. Dominicus Fundator Ordinis Prædicatorum.*

Prænuntiato Fratribus mortis suæ, ante festum Assumptæ in cœlum Virginis, tempore, cùm Bononiam, itinere ac æstu solis fatigatus venisset, locum tamen quieti non permittens, in templo de more noctem orationi, & matutinis precibus impendit. Inde in morbum lethalem incidit, & confessione totius vitæ generali factâ, Fratribus suis charitatem, humilitatem, ac paupertatem testa-

mento relinquens, commendationem animæ cantari jussit, ac in illis verbis: *ſubvenite Sancti Dei*, ſpiritum Deo reddidit. *Theodoricus.*

13. *S. Franciſcus Fundator Ord. Minorum.*

In ſuprema ægritudine deferri voluit ad templum S. Mariæ de Portiuncula, ibiq; jam moriturus, ex amore paupertatis, adinſtar Chriſti nudi in cruce morientis, ſe veſtibus planè exuit, humique proſtravit: ſuperior autem ejus, arreptam veterem lacernulã, tortumq; funem, viro ſancto obtulit, dicendo: *Hæc tibi tanquam pauperi commodo, tu illa ſuſcipias, obedientiæ ſanctæ mandato.* Tum ſuos hortatus ad amorem Dei, ſanctamq; paupertatem, ac Romanæ Eccleſiæ fidem, poſitis

decussatim brachiis benedixit tam præsentibus quàm absentibus, ac valedixit his verbis: *Valete filii omnes in timore Domini, & permanete in eo semper. Ego ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo.* Deinde prælegi sibi voluit historiam Christi patientis ab illis verbis S. Joannis: *Ante diem Paschæ.* Quâ perlectâ, Psalmum illum *Voce mea ad Dominum clamavi,* recitans, in illis verbis: *Me exspectant justi, donec retribuas mihi,* exspiravit, anno ætatis suæ 45. *S. Bonavent.*

14. *S. Ignatius Lojola Fundator Societatis IESV.*

Tanta cupiditate Dei videndi flagrabat, ut nunquam de morte sine lacrymis præ gaudio fluentibus, cogitaret. Diebus fere 20 ante

ante mortem, cum jam solitò infirmiorem se esse, mortemq; sibi brevi imminere sentiret, ab omni bus hujus vitæ negotiis ita se abstraxit, ut etiam Societatis administratione Vicario commissâ, ad vineam Collegii Romani secesserit; ubi Deo ac sibi vacans, interdum defixis in cœlum oculis ac labentibus per genas lacrymis, identidem exclamabat: *Heu quàm sordet terra, dum cælum aspicio.* Sed isthic ingravescente morbo, ad Domum Professorum relatus, cùm diem sibi extremum instare certò haberet, animam confessione expiavit, & cœlesti epulo refecit, quod ipsi consvetum fuit, quoties sacris operari non poterat. Deinde pridie mortis sub vesperam, Vicarium suum ire ad Pontificem jussit, ut ab eo sibi benedi-

nedictionem in morte ac & indulgentiam impetraret. Ipse cum tota nocte, solus sibi relictus, (quod periculum mortis non appareret,) amoris actus & ignita in Deum suspiria, quæ à proximè cubantibus identidem exaudiebātur, vibrasset, mane à sociis inventus est animam agere, & primâ ab ortu solis horâ, sublatis manibus, sereno vultu, oculis in cœlum defixis, sanctissimum JESU nomen ingeminans, placidissimè exspiravit 31 Julii, feria 2, annum ætatis agendo 65. *Orland. & Ribaden.*

15. *S. Franciscus Xaverius, Indiarum Apostolus. S. I.*

Postquam fidem Japoniæ, & sex aliis regionibus invexisset Xaverius, multaq; hominum centena millia ad Christum in Indiis conver-

convertiſſet, ac Reges Principeſq́;
complures ſacro fonte expiaſſet,
gloriæ divinæ ampliùs promovē-
dæ cupidiſſimus, expeditionem ad
Sinarum imperiū inchoabat. Sed
in ejus veſtibulo, nempe in deſer-
ta inſula Sanciano, poſt ſacrum
pro mortuo factum, lethali febri
correptus eſt. Ibi in publico ja-
cens, à quodam Luſitano inven-
tus, & in tugurio ex ſarmentis ar-
borumq́; ramis contexto, ventis
ac imbribus, undiq́; pervio, depo-
ſitus eſt. Nullum ſtratum erat præ-
ter terram modico ſtramine te-
ctam: non cibus faſtidienti ſtoma-
cho idoneus, præter paucas amy-
gdalas tunc primum à nauclero
Luſitano dono miſſas: non medi-
cus, præter imperitum chirurgum,
qui iteratâ malâ venæ inciſione,
majorem moleſtiā intulit: nullus

ad ſolatia morbi & obſequia: im-mo nec ullus qui ultima ſacramē-ta miniſtraret Sacerdos. Ita ab omnibus in extremo vitæ dereli-ctus Xaverius, per 15 morbi dies, tamen ſedato animo, gratæq; er-ga Dei providentiam mentis tran quillitate, ferebat omnia, nihil conquerendo, nullius requirendo opem, ſoli tantò magis nixus ac unitus Deo. Unde ſæpè aut cœ-lum intuens, aut Crucifixi imagi-nem, quam è collo geſtabat ſem-per, ſvaviter deoſculans, dicebat: *IESV Fili David miſerere mei. Tu autem propitius eſto peccatis meis.* Et ad Deiparam Virginem *Mater Dei memento mei. Monſtra te eſſe matrem.* Quæ hiſq; ſimilia ſuſpiria ac geſtus prodebat etiam tunc, dum triduo ſine voce jace-ret, & dum vehementiâ morbi

mens

mens exerraret. Tandem morti proximus, Christi crucifixi imaginem tenens, crebrosq; gemitus, ac suaves lacrymas miscens subinde dicebat: *IESV Deus cordis mei*: pronuntiatisq; illis verbis: *In te Domine speravi, non confundar in æternum, Iesum & Mariam* primo integris, deinde intermortuis vocibus ingeminans, laboribus Apostolicis fractus, magnam cœlo animam transmisit, feria 6, altera post meridiem hora, anno ætatis 55. *Horat. Turselin.*

16. *B. Aloysius Gonzaga S. I.*

Quanta hic Angelicus Juvenis in supremo suo morbo dederit, documenta patientiæ, paupertatis, mortificationis, charitatis, describit in vita ipsius Virgil. Ceparius. Hîc tantùm pietatis erga Deum

um exempla propono. Nuntio mortis accepto, petiit à socio, ut secum Hymnum *Te Deum laudamus* recitaret. Et mox alteri dixit: *Pater mi lætantes imus, lætantes imus.* Tantum erat moriendi, & videndi Deum desiderium. Ab hinc totum reliquæ vitæ tempus in sola divinarum rerum tractatione expendere volebat. Unde nullum sermonem admittebat, nisi de pietate; dicebat enim, ægro convenire, ut non tantùm formale, sed etiam materiale suorum sermonum sacrum sit. Ingens fuit orationis studium. Quando per vires licebat, nullo arbitro, surgebat è lecto, & pedetentim ad imaginem crucifixi, aliorumq; Sãctorum adrepebat, ut eos osculo veneraretur; aut in angulo aliquo cubiculi genibus flexis orabat: di-

cendo, has esse suas stationes. A festo Corporis Christi postremis octo diebus, cùm per se ipse orationes longiores recitare non posset, obtinuit à socio, ut quotidie ante occasum solis coram se septē Psalmos pœnitentiales recitaret, cùm tamen innocentissimus nullo peccato gravi Deum totâ vita offendisset, ut testatus est eius Confessarius Robertus Bellarminus, Cardinalis. Aliis verò horis petebat sibi prælegi aliquid ex Soliloquiis S. Augustini, aut Jubilum, *Ad perennis vitæ fontem*, aut Psalmum: *Quemadmodum desiderat cervus &c.* Extremo triduo æneum crucifixum usq; ad mortem pectori appressum perpetuò tenuit, inter actus fidei, spei, charitatis dicendo: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Pridie mortis circa meridiem

ridiem, petiit ut iterum in eodem morbo, ſacro viatico reficeretur; quo ſumpto, fratres qui aderant, quaſi alio profecturus complexus, percepta benedictione & indulgentiâ, quam ipſi Gregorius XIV tunc miſerat, inter alteram & tertiam horam noctis, quæ fuit poſt octavam Corporis Chriſti, (cui fuit devotiſſimus,) cereum ardentem tenens, & in manus Dei ſuum ſpiritum commendans, aliaſq; è Sacra Scriptura voces uſurpans, inter crucifixi oſcula, JESU nomine invocato, tranſiit ad choros Angelorum, quos vitâ exprimebat, affectuq; ſingulari colebat, anno ætatis 25. Poſt mortem in quadam exſtaſi viſus in cœlo à S. Maria Magdalena de Pazzis exclamante: *O quantam gloriam habet Aloyſius, quia interius operabatur.*

17. *B. Stanislaus Koſtka S.I.*

Menſem agebat decimum in Tirocinio Soc. JESU Romano, Stanislaus, cùm in feſto S. Laurentii, (quem tanquam menſis ſuum Patronum eo die obſequiis culinæ, & pridie publicâ ſui flagellatione honoraverat,) à prandiis febriculâ correptus eſt. Atq; ita à P. Rectore juſſus, lectulum inſcendit, ſupra quem prius crucis ſignum manu ipſe formavit, adjecitq; hilariter: ſi Deo placet, ut hinc nunquam exſurgam, fiat ejus voluntas. Febris erat levis tertiana, nec putabatur lethalis; ille tamen affirmabat ſe deceſſurum, ſicut eventus probavit, tertio febris acceſſu, & quinto morbi die. Itaque pridie mortis à P. Facio Novitiorum Rectore petiit, impetra-

virǫ; ut humi deponeretur, & ita humi jacens divina mysteria cum magna pietate, & vultu virgineo solitò plus renidente, suscepit. Sub hæc ad Patrem Rectorem cõversus: *Tempus*, inquit, *breve est*, & Patre prosequente illud Apostoli: *Reliquum est*, ipse subjecit: *Præparemus nos*. Tum bis repurgato confessione innocentissimo animo, veniâq; à fratribus religiosis circumstantibus rogatâ, quòd minùs recta eis præbuisset exempla, multis precationibus intẽtus, crucifixi imaginem petiit; quam tenens & amæno oculo intuens, pleno pietatis sensu gratias egit pro beneficio creationis, redemptionis, & ad Religionem vocationis; simul rogans peccatorum veniam, ac spiritum suum in manus illius commendans. Exorsus

autem

autem à plantis, singula Christi vulnera osculatus est, quo affectu imaginem quoq; Deiparæ prosecutus, opem invocabat SS. Patronorum, qui illi singulis mensibus in Societate obtigerant, & quorũ nomina in libellum retulerat. Interrogatus à P. Rectore num esset paratus Deum evocantem sequi, jucundissimè respondit: *Paratum cor meum Deus; paratum cor meum.* Atq; ita sacro oleo inunctus, alterâ manu Coronam B. Virginis precatoriam, alterâ cereum accensum tenens, inter JESU & MARIÆ nomina sacrosancta, Angelus hic terrestris, anno suæ ætatis 18, ipsa nocte festũ Assumptæ Virginis Deiparæ præcedente, abiit ad ejus triumphum celebrandum in cœlo, quàm suam Matrem vocare solebat; vultu

tam

tam vivido, oculisq; tam nitidis relictis, ut adstantes migratio fefellerit. Corpus ibidem in templo Domûs probationis S. J. ad S. Andreæ tumulatum; quod tum ab aliis Pontificibus, tum nuper anno 1696, in festo ipsius, à moderno Innocentio XII, suâ præsentiâ honoratum est. Inde verò patet quam sit ridicula, sed Beato injuriosa fabula, in hoc solo regno Poloniæ, à quibusdam malevolis conficta, & in vulgus sparsa, hunc Beatum è Societate dimissum, in Xenodochio Romano obiisse. In aliis certè omnibus Provinciis, etiam Romæ, nullum est dubium, quod in Domo probationis Soc. JESU Romæ ille decesserit. Et omnes Historici, quicunq; vitam Beati scripserunt, id asserunt, Imprimis P. Stanislaus

Varſevicius, ejus Connovitius. Item P. Petrus Skarga, in eadem Romana Domo probationis Connovitiorum B. Stanislai Connovitius. Idem aſſerit Fran: Sachinus in vita hujus Beati, brevi poſt mortem ejus, ibidem Romæ, cum approbatione utiq; Magiſtri S. Palatii editâ. Ex quibus Authoribus hîc quæ ſcripſi de morte Beati, excerpta ſunt. Idem teſtatur P. Gaulterius in ſua Chronographia, mihi pag. 748. Idem, P. Paulus Barry in Anno Mariano ad 14 Auguſti, & omnes alii. Sed quod fidem certam hujns rei facere debet: noſtra Provincialis Synodus Petricoviana, celebrata anno 1628 & approbata ab Urbano VIII, B. Stanislao dat Titulum expreſsè *Societatis IESV*, quem titulum dat eidem Clemens X in Brevi, quo

Miſſam

Missam de illo concessit; & iterum in alio Brevi, 10 Januar. 1674, quo eum inter Patronos Poloniæ principaliores retulit. Eundem insuper titulum eidem tribuit Innocentius XI in suo Brevi 24 Sept. 1680, quo S. Hyacinthum inter principaliores Regni nostri Patronos decernit. Nemo autem post mortem vocatur Religiosus Societatis JESU, qui ab ea dimissus obiit: & ex altera parte errasse Pontifices, nefas est dicere.

18. *S. Ludovicus Rex Galliæ.*

In expedirione contra Saracenos Tunetana, peste in exercitu exorta correptus, ad visionemq; Dei aspirans precabatur: *Fac nos Domine prospera mundi despicere, & nulla eius adversa formidare.* Allato sacro viatico, dum à Sacerdo-

cerdote quæreretur, an in Eucharistia crederet contineri verum Dei Filium? respondit: minus id apud se habere dubii, quam si videret Christum in ea janua, quâ cœlum conscendit. Tandem moriendo, sublatis in cœlum oculis dixit: *Introibo in Domum tuam Domine, adorabo ad templũ sanctum tuũ, & confitebor nomini tuo*. Authores apud Ribaden.

19. *S. Casimirus Princeps Poloniæ.*

Virginitatem, quam ab incunabulis servavit illæsam, sub extremo vitæ termino, fortiter asseruit, dum gravi pressus infirmitate, mori potiùs, quàm castitatis jacturam, ex Medicorum consilio subire, constanter decrevit, illud dicendo: *Malo mori quàm fœdari.* Itaq; consummatus in brevi,

virtu-

virtutibus & meritis plenus, præ nuntiato mortis ſuæ die, inter Sacerdotum & Religioſorum choros, Crucifixi imagine armatus ſpiritum Deo reddidit, anno ætatis 25. *Ex officio Eccleſiæ.* Addit Paulus de Barry in Anno Mariano ad 4 Martii, quod nullo die intermiſerit recitare Rythmos latinos quos ipſe de laudibus B. Virginis compoſuerat, eoſdemq́; moriens voluerit pectori ſuo impoſitos tumulo ſecum inferri.

20. *S. Agnes Virgo & Martyr.*

Hæc Sancta Virgo anno decimo tertio ſuæ ætatis, pro defenſione fidei & virginitatis vitam ſanguinemq; ſuum profudit, *pudoris & religionis victima, mori adhuc neſcia, ſed parata, nondum idonea pœnæ, & jam matura victoriæ,* ut

ait

ait S. Ambrosius. Quàm generosè mortem oppetierit, testatur idem S. Doctor: *Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum, læta successu, gradu festina, Virgo processit. Flere omnes, ipsa sine fletu.* Cùm autem carnifex in cervicem puellæ ensem librans, alieno trepidaret periculo, cùm ipsa non timeret suo, ad exangnem conversa lictorem: Quid inquit, *percussor moraris? pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo.* Quo verò affectu Christum sponsum æstimaverit, ipsa audiatur. Nam cum Sempronius Prætoris Romani filius, insano Virginis amore succensus eius nuptias expeteret, illa, integritate constantissima preces & omnia respuēs munera, respondit: *Discede à me*

pabu-

pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum. Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviũt. Ille induit me cyclade auro texta, immensis monilibus ornavit me, circumdedit me vernantibus & coruscantibus gemmis: annulo suo subarrhavit me: tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & tanquam sponsam decoravit me coronâ. Cùm verò in rogum
» conjecta, exinde divinitus libe
ra evasisset, ita Dominum pre
» cata est: Omnipotens, adoran
de, tremende, benedico te
» quia per Filium tuum unigeni
tum evasi minas hominum, &
» spurcitias diaboli impollut
calle transivi. Te confiteo
» labiis, te corde, te totis vir
bus concupisco. Ecce quo
» concupivi jam video, quod spe

ravi jam teneo; ipsi sum juncta in cœlis, quem in terris posita, ,, totâ devotione dilexi.

Ex S. Ambrosio, & ex officio Ecclesiæ.

21. S. *Dorothea Virgo & Martyr.*

Pro Christo suspensa in equuleo ad cruciatus, tantis gestire visa est gaudiis, acsi ad epulas iret. Cùmq; miratus id Apricius Præses, causam quæreret, illa respondit: Nunquam dum vivo, tantis incessi gaudiis, quantis nunc circumfluo, tum quod animas à te stygi mancipatas, Deo vindicarim: tum quod me jam propiùs abesse cœlo videam, meq; brevi Deo meo fruituram sperem. Tædis ergo accensis dirè ustulata, ac postea equuleo deposita, multisque cæsa alapis, quod liberiùs locuta

esset,

esset, crescentibus tormentis, tanto majori lætitiâ exultabat. Tandem ad ensem damnata, Deo egit gratias, quod se ad Agni immaculati nuptias evocaret; cùmque ad arenam educeretur, Theophilo cuidam causidico, per ludibrium ab illa petenti poma è paradiso Sponsi sui, illa jam collum ferro subijciens, precibus suis impetravit, ut adfuerit cœlestis ephebus, qui calathum cum tribus pomis, totidemq; rosis ei exhibuit, quem illa cum his donis ad Theophilum misit. *Ribadeneira.*

22. S. *Clara Virgo, prima sororum S. Francisci.*

Devotione erga Deiparam meruit, ut cum ingenti Virginũ agmine, candidis vestibus & co-

ronis

ronis aureis visendo, morientem Claram adiverit media inter Virgines, veluti harum Regina, coronata diademate gemmis collucente, è cujus vultu cœlestis fulgor, solis luce nitidior, promicabat. Hoc igitur incessu Dei Mater ad Claram venit, eiq; amanter blandita, post datum amplexum, pacis osculum obtulit, animo ejus interim novum robur, ac cœleste solatium capiente. Virgines autem Deiparam comitatæ, circa lectum stantes, eam aureâ tegete obtexerunt, & sic ad Sponsum divinum deducta est. *Paulus Barry ex Chron. Ordin.*

23. *S. Teresia Virgo, Carmelitarum Excalceatorum Monialiumq; Fundatrix.*

Hæc Virgo Seraphica, cœlesti

ſapientiâ dives, ſpiritualis doctrinæ Magiſtra ſingularis, ſublimis contemplationis & exſtaticæ orationis dono ditata, omni heroicarum virtutum genere clariſſima, pro tot laboribus ad divinum honorem & Eccleſiæ utilitatem exhauſtis, coronam gloriæ de manu ſponſi acceptura, è fluxu sangvinis langvida, decumbere cœpit; quo tempore filias ſuas prudentiſſimis, ac ſaluberrimis conſiliis inſtruebat. Ingraveſcente verò morbo, cùm ſe jam lecto movere non poſſet; tamen allato ſacro viatico, repente ſine ullius ope ſe erexit, & Sanctiſſimum Sacramentum cum ſumma reverentia, & miro ſplendore perfuſa, ſuſcepit, ac in præſentia dilecti ſui, junctis manibus, amore langvens dicebat: O Domine, ô Sponſe

mi,

mi acceſſit tandem tempus optatum; æquum eſt, ut te videam. Tempus eſt mi Domine, ut ex hac vita diſcedam. Fiat obſecro juxta placitum tuum. Venit demùm hora, ut hoc exilio eripiar, teque fruar. Tum gratias agebat, quod eam in Eccleſiæ filiam adoptaſſet, & quod in ſinu tantæ Matris animã efflaret, magno ſenſu repetendo: *Sum certè Domine, Eccleſiæ filia.* Petens autẽ veniam peccatorum, ac ſalutem ſe per Chriſti Redemptoris merita ſperare aſſeverans, frequẽter illos verſus donec exſpiraret, uſurpabat: *Ne proijcias me à facie tua &c. Cor contritũ & humiliatũ Deus non deſpicies.* Tandẽ reverẽter ſumpto extremæ unctionis Sacramento, in latus incubuit & Chriſti effigiem uſq; ad ſuum obitum tenens, vultuq; flagrã-

ti orans, & quasi in exstasim rapta, sub columbæ specie purissimam animam Deo reddidit, annos nata 67. Ei morienti adesse visus est inter Angelorum agmina Christus JESUS, & arbor arida cellæ proxima statim effloruit. *Ex Actis Canoniz. & ex Breviario*

23. *S. Maria Magdalena de Pazzis Carmelitana.*

Hæc admirabilis Christi Virgo, insigni dono castitatis decorata, cujus votum in anno decimo fecit, atq; ita perfectè observavit, ut quidquid eam læderet, ignoraverit: magnâ carnis mortificatione insignis; frequenti exstasi clara: eximia Verbi incarnati amatrix, cujus cordi, in exstasi, S. Augustinus inscripsit aureis literis *Verbum*, jam verò sangvineis, *Caro fa-*

ro factum est; ipsa verò eo erga Christum amore flagrabat, ut pectus ejus aquâ frigida refrigerari opus fuerit. Hæc inquam Sancta Virgo, tribus ante mortem annis, longum gravemq; morbum, & dolores intolerabiles, insuper desolationes spiritûs, tolerando, nihil de exemplis virtutum suarũ remisit. Nam imprimis in hoc morbo diuturno, singulis diebus sacram sumebat synaxim: & quidem in principio morbi, cùm poterat, non sine gravi violentia, surgebat è lecto, & cum aliis sororibus, quotidie ad hoc Sacramentum accedebat, quamvis sæpè ob debilitatem, alienis manibus duceretur: postea verò, cùm aliter non posset, jussu Confessarii, in lecto idem sumebat Sacramentum, totâ idcirco nocte, ni-

hil gustans, quamvis præ debilitate deficeret. Cùm jam horas canonicas recitare non posset, petiit ut coram ea ab aliqua sorore dicerentur, quod usq; ad mortem observatum. In eodem gravi morbo non indulgendo carni, nec admittendo commoditates, etiam à Medicis præscriptas, dicebat: *IESVS meus nulla habuit in Cruce solatia.* Atq; ita per multos menses soli stramineo sacco incūbebat in veste, laneo stragulo tecta, non utendo indusio aut sindone lineâ, quoadusq; obedientia contrariū non præcepit. Cùm aliquis cibus illi melior ad vires reficiendas offerretur, eum illico infirmis sororibus mittebat. Triduò ante mortem, sacro oleo ungenda, convocatis sororibus, exactam regularum observantiam,

pau-

pauperratem, mutuamq; charitatem commendavit. Ipsa verò in hac Sacramentali cerimonia Sacerdoti ad versus singulos & Litanias respondebat, oculis amabili intuitu in Crucifixi imaginem quam tenebat, defixis; cùm interim ejus rogatu, sorores symbolum Apostolorum, & S. Athanasii, ac præfationem de SS. Trinitate cantarent. Ipso die mortis ante diluculum, sacrum petiit, sumpsitq; viaticum, cum indicibili amore ac jucunditate; & circa meridiem, Confessario Psalmos & alias orationes recitante, omnibusq; sororibus circa lectum hymnos cantantibus, & non magis lacrymantibus, quam de felici decessu ejus gaudentibus, quietissimè obiit, 25 Maii 1607, anno ætatis 41, *Ex Vita.*

25. S. Hedvigis Vidua, Ducissa Poloniæ.

Annis meritisq; cumulata, mortem vicinam divinitùs intellexit. Quamobrem se tempestivè Sacramentis, etiam sacro oleo, muniri curavit, ut hoc Sacramentum majori pietatis affectu susciperet. Noluit corpus suum tumulari in templo, nec eodem mausolæo cum Duce Henrico Conjuge condi, quod ab hoc jam dudum, dum viveret, esset castitatis amore seperata; sed potiùs voluit sepeliri in communi monialium cæmeterio. In suprèma ægritudinè, die Natalis Deiparæ, tempore vesperarum, fuit visitata à S. Maria Magdalena, Catharina, Thecla, Ursula, similiq; visu recreata fuit iterum in festo S. Matthæi Apostoli

ſtoli, atq; ita brevi poſt idibus Octobris coronam gloriæ recepit. Poſt mortem repertum eſt corpus ejus aſpero veſtitum cilicio, & cingulo ſetis equinis intexto: ſed valde venuſtum ac ſplendidum in vultu, quod aliàs fuit vigiliis, jejuniis, aliiſq; pœnitentiæ operibus ita exhauſtum & conſumptum, ut dum viveret, videretur emortuum, luridum, ac vivum mortis ſimulachrum. *Ribaden. ex variis Authoribus.* Addit Surius quod ei morienti imago B. Virginis, quàm vivens è collo geſtabat, evelli non potuerit, ſicque cum ea eſt tumulata, & digiti quibus illam tenebat, manſerunt incorrupti.

26. S. Elisabeth Vidua, filia Regis Vngariæ.

Ante supremum morbum Christus ei apparuit, monuitq; tempus esse, quo vellet ei coronam gloriæ conferre. Mox ardenti febri correpta, Sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ unctionis magnâ pietate percepit. Proxima morti, visum humani generis hostem terribili specie adstantem, non expavit, sed generosè fugavit, exclamando: *Discede miser, fuge maledicte.* Atq; ita in piis de Christi vita colloquiis, spiritum Deo, cui illum magno affectu commendabat, reddidit. In eius obitu auditi sunt svavissimi cœlitum concentus, & sensu percepta ab adstantibus è corpore exspirans mira odorum

dorum

dorum fragrantia. *Idem ex Authoribus.*

Hæ sunt pretiosæ mortes Justorum, quibus similem unusquisq; optare debet. *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horũ similia.* Num. 23.

APPENDIX.

Psalmi, & Orationes Ecclesiæ, quæ recitari possunt supra moribundos.

PRo commoditate eorum, qui disponunt moribundos, placet addere hujusmodi Psalmos & Orationes, ut in promptu habeãtur. Pono autem hîc solas Ecclesiæ orationes, quia hæ sunt longè Deo gratiores, siquidem nomine Spõsæ à Christo dilectæ, ei offeruntur, quam aliæ quæcunq; privatorum Authorum preces.

Ex Psalmis, 1. ad excitandam contritionē recitari possunt Psalmi pœnitentiales, exemplo S. Augustini, & B. Aloysii. Habentur ad finem Breviarii. Præsertim ad hunc finem servit Psalmus 50, *Miserere mei Deus*, qui habetur primus in Laudibus feriæ 2dæ.

2. Ad excitandam memoriam passionis Christi, Psalmus 21: *Deus Deus meus respice in me*, qui habetur feria 6ta ad Primam: fuitq; à Christo moriente recitatus in cruce.

3. Item ad spem excitandam Psalmus 30. *In te Domine speravi*. Habetur in Completorio 2dus, eumq; recitavit moriens S. Hyacinthus. Similiter Psalmus 90. *Qui habitat*. Habetur ibidē 3tius.

4. Ad excitandum desiderium

videnꝫ

videndi Deum Psalmus 141. *Voce mea ad Dominum clamavi.* Habetur in vesperis feriæ 6tæ quintus. Recitavit illum in morte S. Franciscus.

5. Item Psalmus 83. *Quàm dilecta tabernacula tua.* Habetur 4tus in matutino feriæ 6tæ, & recitatus fuit à S. Paula moriente, & à P. Francisco Suarez S. J.

6. Item Psalmus 41. *Quemadmodum desiderat cervus:* qui est 4tus in matutino feriæ 3tiæ.

7. Contra timores, Psalmus 26 *Dominus illuminatio mea:* qui est primus in matutino feriæ 2dæ.

8. Ad excitandam charitatem recitari potest initium Psalmi 17. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Habetur tertius in 2do Nocturno Dominicæ.

9. Ad laudandum Deum Psal-

mus 144. *Exaltabo te Deus meus*, qui est 2dus in vesperis Sabbati.

ORATIONES ECCLESIÆ.

Præter commendationem animæ, pro impetranda felici morte, recitari possunt Litaniæ de Nomine JESU. Item Litaniæ Lauretanæ de B. Virgine. Item sequentes. *Pater noster, &c.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Salvum fac servum tuum.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oratio pro Infirmo.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium: exaudi nos pro famulo tuo infirmo, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut redditâ sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Dominum nostrum, &c.

Alia.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium: auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsētari mereatur. Per Dominum &c.

Pro infirmo proximo morti.

Omnipotens & misericors Deus, qui humano generi & salutis remedia, & vitæ æternæ munera contulisti; respice propitius famulum tuum infirmitate corporis laborantem, & animam refove, quam creasti, ut in hora exitus illius, absq; peccati macula, tibi Creatori suo, per manus Sanctorum Angelorum repræsentari mereatur. Per Dominum &c.

Alia.

Suscipe quæsumus *Omnipotens Deus merita IESV Christi Filii tui Domini nostri*, quæ tibi offerimus pro famulo tuo, in extremo vitæ constituto, & concede, ut per ea, universa illius purgentur delicta; ut qui tuæ dispositionis flagellis in hac vita atteritur, in futura requiem consequatur æternam: Per eundem Dominum &c.

Alia.

Quæſumus clementiam tuam omnipotens Deus, ut famulum tuum gratiâ tuâ confirmare digneris: ut in hora mortis ejus non prævaleat contra eum adverſarius, ſed cum Angelis tuis tranſitũ habere mareatur ad vitam. Per Dominum noſtrum &c.

Pro remiſſione peccatorum.

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio pietatis tuæ clementer abſolvat.

Alia.

Ineffabilem nobis miſericordiam tuam quæſumus Domine clementer oſtende, ut nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur eripias.

Alia

Alia.

Deus qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris: preces famuli tui ſupplicantis propitius reſpice, atq; ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte.

Contra tentationes.

Deus qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatoris: majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut famulum tuum de tua miſericordia confidentem, cœleſti protegas benignus auxilio, & aſſiduâ protectione conſerves, ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus à te ſeparetur. Per Dominum noſtrum &c.

Alia.

Omnipotens & mitiſſime Deus, reſpice propitius ad preces noſtras, & libera corda noſtra de malarum tentationibus cogitati-

onum

onum: ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum nostrum &c.

Ad postulandam patientiam.

Deus qui Unigeniti tui patientiâ antiqui hostis contrivisti superbiam: da nobis quæsumus, quæ idem piè pro nobis pertulit, recolere, sicq; exemplo ejus, nobis adversantia æquanimiter tolerare. Per Dominum nostrum.

Oratio de SS. Trinitate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem: quæsumus ut ejusdem fidei firmitate hic famulus tuus ab omnibus muniatur adversis. Per Dominum nostrum &c.

Oratio de Spiritu S.

Adsit nobis quæsumus Domine virtus Spiritûs Sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum &c.

Alia.

Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum: purifica per infusionem Spiritûs S. cogitationes cordis nostri, ut te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur. Per Dominum nostrum &c

Oratio ad Christum crucifixum

Domine JESU Christe, qui de cœlis ad terram de sinu Patris descendisti, & sangvinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter pro hoc famulo tuo deprecamur, ut in die judicii, ad dexterã

tuam

tuam audire mereatur, Venite benedicti: Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Alia.

Domine JESU Christe, Fili Dei vivi, qui horâ sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti, & sangvinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti; te humiliter deprecamur pro hoc famulo tuo, ut post obitum suum, paradisi januas, eum gaudenter introire concedas. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De B. Virgine

Concede famulum tuum quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ B. Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitia. Per Dominum &c.

Alia.

Defende quæsumus Domine, Beatâ Maria semper Virgine intercedēte, hunc tuum ab omni adversitate famulum, & toto corde tibi prostratum, ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Alia de B. Virgine.

Interveniat pro nobis quæsumus Domine JESU Christe, nunc & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam, Beata Virgo Mater tua, cujus sanctissimam animā in hora mortis tuæ & passionis, doloris gladius pertransivit: per te JESU Christe Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas in sæcula sæculorum.

De SS. Angelis.

Deus qui miro ordine Angelorum ministeria hominumq; dispēsas, concede propitius, ut à qui- bus

bus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita famuli tui muniatur.

Alia.

Deus qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire huic supplici tuo, & eorum nunc protectione defendi, & æternâ societate gaudere.

De SS. Apostolis Petro & Paulo.

Deus cujus dextera B. Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur erexit, & Coapostolum ejus Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis, hic famulus tuus æternitatis gloriam consequatur: Per Dominum &c.

De S. Ioseph.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi,

quæ-

quæsumus Domine meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

De S. Ignatio Confessore.

Deus qui ad majorem tui nominis gloriam propagandum, novo per B. Jgnatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: concede propitius, ut ejus auxilio & imitatione, hic famulus tuus certando in terris, coronari cum ipso mereatur in coelis.

De S. Francisco Xaverio.

Deus qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris: concede propitius, ut hic, qui S. Francisci gloriosa merita veneratur, ejus pia nunc sentiat patrocinia: Per Dominum nostrum &c.

is
adju-
nostra
rcessi-

e.
qui no-
m, no-
mili-
: con-
tilio &
us cer-
cum i-

io.
glori-
im ho-
de pro-
ci gl
jus pia
Per
tc.

gl

